DE LAVDIBVS

B. AGNETIS POLITIANAE VIRGINIS

Ex Familia S. Dominici.

ORATIO.

BERNARDINI STEPHONII
Sabini Presb. ex Societate Iesu.

Habita ad Cardinales, in Templo B. Mariæ Virginis supra Mineruam, Nonis Iunij, quo die primum eidem B. Agneti publicè Sacri ibidem honores haberentur.

ROMAE,
Apud Bartholom. Zannettú. 1612.
Superiorum Permissu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. Sac. Pal. Apost.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. Magister & Socius Reuerendiss. Patris F. Ludouici Ystella Sacri Palatij Apostolici Magist.

DE LAVDIBVS B. AGNETIS POLITIANAE VIRGINIS.

ORATIO.

ET vniuerſæ Chriſtianorum Reipub. gratulari ſummopere nos decet:& nominatim ſanctiſſimi viri Dominici felicitati decet. Ex cuius temperatione domeſtici moris tam ferax exiſtit heroicæ virtutis vbertas, vt in decernenda cæleſtibus huius ordinis hominibus immortalitate nominis, & honoris non minus ſæpe vobis, Illuſtriſſimi Principes, cogitandũ ſit, quos ex eo genere minime negligẽdos, quã quos deligendos exiſtimetis. Hoc verò glorioſum eſt, & plauſibile, hoc populare, hoc ad agnitionem diuinitatis aptum, & ad memoriam poſteritatis amplum, & ad commouenda ſtudia pietatis acerrimum. Nam ſi nihil du-

citur vitæ moderatione præstabilius; ad moderandam verò vitam nihil est studio pietatis, & agnitione numinis accommodatius: si nulla par gratia, quemadmodum sentit Plato, referri potest ijs familijs, ex quarum optima disciplina ciues Reip. salutares prodierunt; infinitum profecto quiddam est, quod huiusce Ordinis felicitati debere se Christiana Respublica profitetur.

Nam, vt superiora tempora mittantur, vel intra paucos hosce annos, ac potius menses, imo, dies, nos ipsi vidimus, quàm multos huius nominis homines, quos cælo sua virtus intulisset ante; post, sacrorum celebritate decreta templis addidit Pontificis auctoritas, cum Regum, ac populorum expectatione consentiens. Enimuerò proprium hoc est vestræ disciplinæ, Patres: vos annuas ferias occupatis, vestra felicitas Latinos fastos propemodum sola conficit: ex vobis quotidie præclarissima lumina proficiscũtur, quæ Romanum annum, quasi Galaxiam cæli, frequentant densissimo stellarum, hoc est, virtutum splendore dispersum. Ita nullibi iam sæpius,

quàm apud vos ſtatis accepta cæremonijs religio publicè feriatur. Hyacinthum non ita pridem ad aras accepimus: Raymundum dudum implorare cœpimus: Agnetis hodiè Politianæ Virginis memoriam, Regis Potentiſſimi poſtulatu,cōceſſu Sanctiſſimi Pontificis vſurpamus. Neque vero, Gallorum Rex bellicoſiſſime Henrice,indecorum tibi putaſti, ad immortalem bellicæ tuæ virtutis gloriā hanc quoque laudem, quaſi coronidem pacatæ pietatis accedere; quo Chriſtianiſſimi cognomentum tua virtute partum haberes, quod hæreditarium à maioribus accepiſſes. Alios etiam deinceps templis, vt audio, parturit: &, vt ſpero, pariet ſanctitatis veſtræ, Patres,ſemper enixa, numquam effœta fœcunditas. Nec

——— vno auulſo deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

quod ex áureo carmine dictū,ad condecorandam vetuſtæ Familiæ nobilitatem, tranſtulit Poeta non ignobilis. Sed illud verius in aureum iſtum tenorem numquam intermiſſæ felicitatis cadit. Ergo vèſtrum nomen commen-

datissimum alijs, mihi semper fuit, eritq. sanctissimum. & quia neque studio meo, neque expectationi vestræ, neque præstantissimæ Virginis amplitudini satis pro dignitate respondere possum; Sane quàm haud mediocriter commoueor, Patres, cum in omnium Ordinum lætitia, tantaq. celebritate publicæ gratulationis vnus ex omnibus ad dicendũ de præclarissimæ Virginis laudibus accedere sim iussus: qui quemuis alium ex hoc loco audissem libentius. Etenim cum ingenio parum valeam, & infirmissimis vtar viribus corporis, & doctrinæ, conatum in dicendo meum non nisi multi temporis apparatu laboriosissimo declarare possum. Nunc autem perincommodè cecidit, quod in angustissimum tridui spatium ita compulsus sum, vt neque animum laxare paulisper, neque circumspicere argumentum, ac versare, diligenter: neque omnino aliter me, comparare potuerim, quin simul eodem tempore de rebus amplissimis, & commentandum, & legendum esset, & scribendum, & memoriæ mandandum, & dicendum.

Quo magis æquum est, Principes

Illuſtriſſimi, veſtram mihi facilitatem adeſſe, meq. temporis anguſtijs incluſum ab humanitate veſtra non excludi; vt iſtam auram beneuolentiæ mihi tantiſper commodetis: ne deſtitutus à vobis minime robuſti Rhetoris conatus veſtra potius videatur cócidiſſe culpa, quàm temporis. Tu vero felix Agnes, & Superum modo iudicio, núc etiã Regum imploratione beatiſſima: tu, quam cælo receptam, & ab omni parte gloriæ florentiſſima exornatio mea non tam exornat, quàm exorat, vt adſis: tu me de tua ſingulari ſanctitate neſcio quid balbutire conantem, aſpice, quæſo, mater: & imbecillitatem orationis meæ, qua potes, & ſoles, benigna tui numinis opitulatione ſuſtenta. Idq. ſit etiam in tuis laudibus, hominem quamuis indiſertum, & imparatũ, vel extemporali, ſubitaq. dictione conatũ hiſcere de te, dixiſſe tamen aliquid, quod nec à laudibus abhorreret tuis: nec à grauiſſimorum auditorum ſtudijs videri poſſet alienum.

Quæ res in omni commendatione virtutis à dicẽdi magiſtris potiſſimum requiri ſolent, eæ, quantum animo

complector, ſunt, Auditores, omnino quatuor. An quæ virtus proponitur ad exornandum, vllum habeat cum diuinitate commercium: ecquando fuerit, aut ſi publicè, priuatimq. ſalutaris: vtrum videatur optimæ diſciplinæ conſuetudine firmata: num denique reperiatur in admirabili aliquo genere ſanctitatis. Nam illa demum virtus omnium cõplexionem videtur habere numerorum, quæ iudicetur genere diuina, commoditate felix, diuturnitate conſtans, præſtantia ſingularis. Ea porrò, quæ ſit eiuſcemodi digniſſima cẽſetur, cuius memoriã grata poſteritas nũquã intermori patiatur. Humanus enim animus ad omnia sũma factus, vt qui ſenſum aliquẽ virtutis hauſerit, & nonnullam indolẽ expreſſerit ex Deo; nihil admodum admirari conſueuit, quod non eximium aliquod ſpecimen præ ſe ſimilitudinis diuinæ ferat. vt autem ſe quiſque diligit plurimum, niſi ſi nimium anguſte, nemo ſanè libenter illi fauet: ex quo nullum emolumentum foras deriuari videt. Quod vero nullo certo more ſtabilitum ſit, id minime diuturnum videtur: cumq. multam leuitatis, & in-

con-

constantiæ suspicionem afferat, à recta ratione remotum est, quam quod remotissimum: ac tribui fortunæ solet. Postremò quod admirabilem, ac singularem nullam efferat significationé, & notam ex inusitato genere virtutis, id infra mediocritatem abiectum, vt vulgare contemnitur: nec nisi ab imperitissimis ad commendationem adsumi potest. Hoc adeo probe constituto: aio, Agnetem genere Politianam, instituto virginem, in amplissima Dominici disciplina partes omnes explesse pulcherrimæ, præstantissimęq. virtutis: vt vnam in paucissimis numerari fas sit, cuius immortalitatem nominis templis commendatam, ob innumerabiles, & maximas vtilitates ex eius felicitate profectas recordari iucundissimè, deq. singulari eius sanctitate Christiana Respub. debeat quam diutissime gloriari. Age, quod erat in participatione primum, quantam Agnes habuerit cum diuinitate rationem explicemus. Præclarum est hoc, Auditores, & ad extorquendum hominum amorem, & honorem rapax: siue quod nihil est ipsa virtute suauius, & amabilius: siue quod nihil illa com-

modius ad tuendam, honèsteq. degendam vitam, nihil optabilius iudicamus: siue demum, quia nemo non intelligit, in eorum animis facillime virtutum omnium honestatem, venustatemq. efflorescere, qui diuini congressus, & consuetudinis assiduitate delectentur. Plane sensus hic omnium est: atque hæc opinio penitus inoleuit, magnis & excellentibus animis Superum amicissimis, cum omnes virtutes ad honestatem, tum ad amplitudinem atque gloriam, & ad res feliciter administrandas consideratam, ac strenuam moderationem, ac quandam quasi adiunctam esse fortunam: quo fiat, vt in rebus aggrediendis nutu quodam, instinctuq. numinis plurimum sibi de eorum felicitate (quam de se ipse nemo præstare potest) ciuitates audeant polliceri. Vidit hoc Plato, qui ciuitatum idoneos gubernatores, non hac communi & nostrati conditione concretos existimabat: sed alia quadam augustiore, quam humana, hoc est, diuina cognatione generatos: ijsq. mentem attributam à Deo dicebat, quasi fictam ex auro. Poeticus color est, & ab eo Philosopho, qui ve-

ritatem

ritatem indaget, alienus; video tamen quid velit. acceperat hoc ab Homero, fortes, ac sapientes Reipub. rectores, & quos Heroas appellabant, à Dijs genitos, cum Dijs societatem virtutis, & felicitatem habere communem. At Moses alia quadam ratione cælo proximus, & Deo carus, vt acceptas diuinitus leges Diuinitatis existimatione sancire posset, luce palam in nubem accitus à Deo, cumq. eo perdiu inter tonitrua populo procul inspectante collocutus est. Ac morem illum legum, & gentium conditoribus placuisse miraberis: vt, ad aucupandam auctoritatem decretorum suorũ, intimam ementirentur familiaritatem Deorum: tamquam ex ijs illa præclara legum inuenta peperissent. Zoroastes quidem Bactrianis leges condidit: Xamolscis Scythis: Cretensibus Minos: Solon Atheniensibus: Plato Cyrenaicis, Charondas Carthaginiensibus: Pompilius Romanis. at Pompilius ad Egeriam: ad Mercurium Charondas: ad Apollinem Solon, & Plato: Minos ad Iouem: Xamolscis ad Vestam: ad Horomasin Zoroastes suorum inuentorum auctoritatem trãstu-

lerunt. ineptè; sed illam tamen, quam dixi, diuinæ societatis opinionem sequebantur. Hunc adeo sensum humanitatis, atque hanc inductionem naturæ secuti permulti, quos intererat Reipub. summos, & admirabiles esse commendatricem auctoritatis suæ, notitiam & familiaritatem cælestium assequebatur. Sic enim statuebant: propterea quòd in omnium animis acerrimus sensus diuinitatis infixus esset: eorumq. fidei nos, nostraq. libentissime committeremus, quos illi principi rerum existimaremus esse gratissimos: aut hoc acceptum, aut nihil futurum in populos, in quos summum imperium obtinere voluissent: si popularis gratiæ conciliatricem illam, quasi suffragationem beneuolentissimi numinis adhibuissent. quosdam etiam summos bellatores Historici tradiderunt diuini generis, & colloquij famam de se callidè in vulgus emanare voluisse. Memini P. Scipionis. Alexandrum Macedonem non ignoro: quorum alter in Capitolio cum assiduus fuisset ad Iouis aures, inanem illum rumusculum ementiti patris plurimum valuisse sensit ad Carthaginem, Numan-

tiamq.

tiamq; delendam. alter vbique locorum, quocumq. peruenisset, Deorum oracula scitatus plura bella diuinitatis opinione, quàm virtute confecit. Tantum inerat in illa, quà vera, quà falsa cæli consuetudine momentum, quod igitur, vt ad rem propius accedam, verissimè Moses, inanissimè reliqui consecuti sunt: id in Agnete castissima virgine nequaquam desiderabimus. Perpetuam quæso consuetudinem illius, & in orando Deo contentionem mentis assiduam recordamini: quantum illi cum Deo, quàm intimæ necessitudinis vsum intercessisse dixerim, cui nihil esset acerbius, quàm ad humanas, non dico voluptates, sed necessitates à diuinarum rerum cogitationibus auocari? satis cõstat Agnetem, vt diuini congressus iucunditate, qui saluberrimus est pastus animorum, in quamlongissimum tempus extracto cum Deo sermone frueretur, omnem penitus abrecisse mollitiem, & ab indulgentia corporis longissimè recessisse. Quindecim ipsos annos, numquam intermissa seueritate, ieiunij, corpusculum inedia sic afflictauit, vt semel dumtaxat in diem, idq.

idq. vefperi, fitim aqua, famem cibario pane fedaret. quam quidem duritiem illi voluntariam fuiffe, non neceffariam, fatis magno argumento eft, quòd nulla vnquã fuit grauioris culpæ mortifera labe refperfa. Sæpe de multis acceperat, & ipfa legerat fæpius: paluftrem illum humorem, & olidam quafi Lernam mentis fluentis in luxum carnis contagione collectã, epularum exarefcere parcimonia, affluentia redundare: nec ante ficcatam, & exhauftam maculofę fentinæ luem, in cuiufquam animo liquidarum fenfum voluptatum, & honeftiffimas voluntates, & cognitiones veriffimas facili negotio commoueri. Hæc inter, quoties illi nox, cum orare mane cœpiffet: quoties lux, cum cœpiffet vefperi, fenfum integerrimæ dulcedinis interpellabat? quoties abalienatam à corporis fenfibus tantus amoris æftus abforbebat, vt animi celeritatem in cælum emicantis ex humo fublata corporis moles in fublime fequeretur? quoties accenfum virginis pectus tantis colliquefcebat gaudijs vberrimæ, liquidiffimæq. voluptatis? vt fatis intelligi poffet, nihil illi neque præfen-

tius,

tius, neque iucundius esse quam Deũ? Est huius loci, quod grauissimorum auctorum testimonijs confirmare possum: sæpenumero quem locũ Agnes, vbi Deum adoraret, esset ingressa, repentinam illico rosam, & violam alienissima tempestate vernum Fauonium non expectasse: satis, vt opinor, magno documento, nihil ardentius illo pectore tunc fuisse, cuius languentem animum Deus, quod in Epithalamio Diuino sponsa postulabat, manipulatim subito flore fulciret. Illud etiam solenne dicitur huic Virgini fuisse, vt, quoties ad supplicandum humi genua posuisset, continuo rosidus è cælo nimbus effusus, & ipsam largè conspergeret, & locum latissimè circumfunderet. vt tunc accidit, cum illam Episcopus prouincialis, adstante clero, spectante populo, immortali Christo perpetua virginitate dedicabat. Quo quidem tempore tanta vis candidi, concretiq. roris ex aëre desudasse dicitur, vt & templi pauimentum operiretur, & ara maxima largissimè permaderet. Animaduertebatur Virginis indumentum eo rore guttatum sic, vt rosidis eius nimbi guttis,

quasi

quasi corymbis in crucis formam incidentibus,& conglobatis, sparsim baccatum cerneretur, ac multa dispersa cruce stellatum. Quid hic primum admirer, Auditores? quod testis iucũdissimæ coniunctionis cum Deo rosidus è cælo nimbus hanc Virginem irrorabat? an quod illa tanta facilitate numinis vtebatur? an quod ita frequenter? an quod illo more? supplex irroratur è cælo: num certior index esse potest Numinis amantissimi? nos quoque similiter, quos plus oculis nostris amamus, florum,& nymborum odoratorum aspersione decoramus. & irroratur sæpissimè; ne si semel tantum id euenisset, non consilio factum, sed fortuitò contigisse videretur. & orantem rore perfundi vides: aude negare, si potes, illum esse cælestis Sponsi castissime sponsæ blandientis amorem, vt ita dicam, in rore ludentem. & exprimi crucem in rore cernis. hic hære, nonne sentis, si rorem consideras, nihil in eius moribus ferreum esse? nihil asperum, nihil immane, nihil agreste, nihil horridum? si contra crucem animaduertis, nihil in eius suauitate molle, nihil languidum,
nihil

nihil remissum, abiectum, & effœminatum nihil? sic rore perfunditur: vt monumento crucis ad virilis constantiæ duritiem obdurescat. Sic ad perpessionem eruditur, vt tandem tamen crux illa sit rosida: hoc est (vt ego quidem interpretor) vt tolerantia laborum, & voluntaria pro Christo molestiarum susceptio placidissimæ pacis dulcedine molliatur. rursus ita cælesti rore dispergitur; vt sibi rationem intelligat esse cum Deo, qui molestias sua causa susceptas iucundissimè condire posit. ita ros crucis imitatione distinguitur, vt voluptatem pellucidam, & sinceram nullibi verius, quam in laboriosa virtutis exercitatione reperiri putet. Quidlibet alij sentiant. Ego te beatissimam, Agnes, prædicabo, tantis erga te, tamque manifestis diuinæ charitatis argumentis: simul pene mirari desinam, quod horrido vestitu, quod breuissima quiete, quod cibatu fere nullo vtereris: nullaq. ducereris specie tractabilium voluptatum. suauius mentem tuam irrigabat Deus. cur ad hæc volutabra sensuum illam deprimeres, causæ nihil erat. Ad hanc etiam consuetudinem, ac familiarita-

tem

tem diuinam pertinere arbitror, quod Raymundus affirmat, non hic, quem dudum ad aras publicis sacrorum cæremonijs è cælo deuocauimus: sed alter illo recentior, auctor & ipse grauissimus, summus huius Ordinis Moderator, ac sapientissimus Magister. nam cum huic Virgini postulanti Regina rerum, ac cæli matrona Virgo paruulum è cælo Filium allatum in eius gremio collocasset: diu contemplata florem ingenuæ Diuinitatis in pueri vultu, animaduertit Agnes, è paruuli collo paruã tenui filo suspensam crucem. hanc igitur Agnes, quasi furtim illo iam abeunte subripit, sic vt amicorum nos armillas, & anulos detrahere solemus. Delectatus pio illo, vt ita dicam, furto Virginis Dei filius arrisit, & facile passus est, illam hoc mutuæ beneuolentiæ perpetuum in omnem vitam habere monumentũ. Hæc illa crux est, Auditores, quam etiam nunc Politiani cũ Virginis corpore conditam in eius ciborio venerantur. Est apud eumdem auctorem, maximam Virginem Dei filij Parentem, ob oculos versatam aliquando tres Agneti lapides in manifesto lu-

mine

mine porrexisse: cum diceret, illam in eo munere vim, & cautionem esse: quidquid vt ageret in posterum, id Augustissimæ Trinitatis nomine susceptum, eiusdem virtute fundaret, & æternitatis firmitate stabiliret: cape tres, inquit, istos lapides filia: monumentum in numero sempiternæ Trinitatis agnoscis. fruere felicitate tua, & vale: meminerisq. te mihi semper addictam, cordi futuram semper: & vnius, triniq. Dei virtute firmatam, meo nomini domicilium, templumq. posituram. In dicto conspectum sui subduxit Regina: tres lapides Agnes in manu sibi relictos videt: at animum suum ad auctorem muneris mundi dominam euolasse sensit. Quid? illud num omittemus, quod indidem est? supra naturam corporis, & extra sensus quodam tempore sublata sibi versari videbatur in cælo. locum irriguum vbertate fontium, purpureaq. lucis amœnitate lætum cernebat, immortalibus amarantis, æternumq. fulgentibus hyacinthis. Iam species ipsa lætissima discoloris amœnitatis, odorumq. suauitas, quæ difflaretur è floribus: & variarum concentus iucundissimus

simus

simus auicularum, tum aquarum bellè cadentium admurmuratio: nec non aurae susurrus inuolutus frondibus ad numerum adsibilantibus è sylua: quantam vel animo iucunditatem affunderet, vel obliuionem induceret caeterarum curarum, non nisi qui sensibus explorarit aliquando, consequi coniectura possit. in medio loci testudo perplexo, & camerato topiario conuestita, sellam opacabat supernè incubans, splendido suffultam thoro, multo auro, argentoq. lucidam, & illustrem pendentibus vndique margaritis. In sella regio ornatu corporis, oris incredibili dignitate, constanti iam aetate virgo pulcherrima. circa Virginem haud multum inter se dissimili venustate formae (qualis videlicet eiusdem indolis in consanguineis similitudo spectari solet) aureis amiculis velati frequentes adstabant puellarum, & puerorum globi. Reginae subseruire videbantur è sella caelum, maria, terras, nutu, gestuq. moderanti. horum alij, facto choro vocum, tibiarum, neruorumq. concentu, carmina modulabantur: alij, tamquam auram refrigerarent, euentilatis vtrimq.
carba.

carbasis Reginæ ventulum faciebant. Dei mater erat, quæ lætissimam hanc sui speciem obijciebat Agneti: quo illa difficillimi morbi molestias futuras, & iam aduentantes huius lætissimi conspectus recordatione lenire posset. Iam quantum illud, quæso, fuerit, Auditores, quod huic Virgini nihil immortalis sponsus denegabat? cur autem negaret? quæ cum maximè cælestium gaudiorum affluentia maderet, cum potiretur maxime voluptate diuinitus impertita; nihilo tamen secius ipsum illum sensum, ipsam illam lætitiæ iucunditaté vt illa sua perpetua crucis acerbitate temperaret, ad infimum sese demittebat obsequium vltimæ necessitatis. Ergo contra voluntates ire: spiritus frangere: sublationem animæ premere: nihil ineptæ lætitiæ concedere: cogitationem à rebus lætis ad mœstas imagines traducere: sensibus imperare: in potestate cupiditates habere: motus animi regere, versare, quocumque ratio suaderet impellere: facilis aduersus æquales esse; superioribus ætate, loco que plurimum cedere: ingenij tractabilitate flexibilis: omnibus obsequens: aduersa nemini; sororibus vera videri malle,

malle, quàm blanda, si veritas agere-tur: malle blanda, quàm mœsta, si cuiusquam animi mœror minuendus esset: sibi nihil eximium arrogare: summam tantum virtutis capessere: fidem, misericordiam, beneuolentiã expromtas habere: functiones humilium munerum obire: tergere: lauare: coquere: secum nihilo minus habitare: lectulis sororum ægrotantium assidere: nihil demum in tuendis iustitiæ partibus prætermittere rerum illarum, quas in sororis otio Marthæ sedulitas requirebat. Et quidem plura prætereo, quàm dico: ne citius vos audiendi, quàm ego finem faciam dicendi: tamen illud, quia nouum est, & inauditum, præterire tacitus nullo modo possum. Dominico die (fides huius facti penes Raymundum est) Virgo sese commentandi studio in solitudinem abdiderat. Hic diuinis voluptatibus vberrimè refecta, tamen ab illa numinis indulgentia diuelli non poterat. Instabat sacrificij tempus, quod illo præsertim die non obire piaculum erat. Quid faceret? discederet? sponsum deserebat. maneret? offendebat. rogaret, ne abiret? insolentis erat. vt abire liceret, oraret? non audebat. ob-
sequium

sequium humilitas postulabat: præsentiam charitas exigebat: Ecclesiæ non parere nefarium erat: amori repugnare violentum. hærebat: æstuabat: quid consilij caperet: nesciebat. Explicat nodum Deus, & ipse Virginis præsentia delectatus. illam dimittat? at spósam mœrere cernit. retineat? æstuare non vult. discedat ipse? minus facilis videri posset. permaneat? præcepti vis remittenda non est. in illo temporis articulo præsentia Virginis carere velle, fortis esset; nolle, diligentis: quid agat? cum eius absentiam Ecclesia non ferret, amor præsentiam flagitaret: ne quid illi negasse videretur, maluit virginem sacrificio non adesse, quàm fruendi sui iucunditate priuari. Nec mirum, si, qui Dominus est etiam Sabbathi, sponsam sui cupidissimam diei religione liberauit, Dei requiete refecit. Ergo cælestem illico ministrum ad Virginem, cum sacrosancto Christi corpore demittit: ne cuius contemplatione tantopere oblectabatur, amoris pignore careret communione corporis. Magnum est hoc, Auditores, arctissimæ familiaritatis argumentum, mirum, inusitatum, nouum: &, quod sciam, ante

hanc

hanc Virginem illo modo concessum nemini: ac si semel tantum illi concessum fuisset; tamen nimium multum videri posset. Nunc idem in eadem sæpe reuocatum, pene iam dixerim vsitatum esse cœpit. Decem enim postea continentibus Dominicis diebus eiusdem muneris eadem largitate cælesti ministerio vegetata est. Quid? quod cum illi, quemadmodum diximus, difficillimus morbus immineret, quo morbo cõfecta demum Agnes ad Agni nuptias decessit, cuius animum ante corpore saginauerat, sanguine colorauit? prorsus eadem benignitate muneris, simili functione cælestium, specie diuersa virtutis; charitatis maiore documento. Vt enim Pater Deus, ea nocte, quæ Deo Filio morituro suprema fuit, impendente fœdissima tempestate postremi laboris, per cælestem ministrum calicem obtulit Christo: sic Christus ipse sponsæ, quam vnice diligebat, vltimum discrimen adeunti, sanguinis sui poculum non semel, aut iterum, aut tertio, sed sæpius propinauit. Ne videlicet, quandoquidem verus amor ex similitudine spectari solet, eius exitus dissimilis videretur, cuius fuisset vita simillima.

ia . Non sum nescius, hæc mira qui-
busdam videri: quæ si mira solummo-
lo, non falsa dicunt, cum capere se
posse negent, ob imbecillitatem inge-
nij ferendi quoquomodo sunt. sin fal-
sa esse contendunt: propterea quod à
summa dignitate numinis illis hæc di-
screpare videantur, ne quid dicam gra-
uius, viderint ipsi de dignitate quam
recte iudicent: de bonitate certe di-
uina nimis anguste, demisseq. sentiunt.
Sit ita sane; dixerit quispiam. fuerit
Agnes Deo familiarissima, concedatur,
quod si negetur, obtineri nullo modo
possit, non aridam, non exilem, non
sterilem, sed vberem, ac feracem innu-
merabilium bonorum istam in Agne-
tem numinis voluntatem fuisse. Ve-
rumtamen Agnes frugifera si fuit, sibi
fuit. aut quemadmodum ista domesti-
ca virtus alijs fructuosa fuerit, requi-
ro. Quid tandem boni peruenerit ad
Rempub. ex ista quietæ virtutis effe-
ctrice beneuolentia numinis? Quid?
quasi vero non ipsa princeps eius be-
neuolentiæ propago iustitia bonum
publicum, maximumq. sit: aut quis-
quam amicissimus Deo possit esse, quin
idem simul iustissimus sit, & ab omni-

 bus

est, vt gloriosissimum, ac fructuosissimum semper est habitum, de ciuitatibus optimè quam diutissime mereri: erit hoc in vltima parte tuæ laudis, Agnes, oram vltimi nullam in communi beneficentia cerni virtutis tuæ. Tu non viua solum ciuitatibus, sed etiam mortua profuisti: si mortua vere dicitur, cuius animum cælum accepit, memoriam in templis Reges requirunt, salubritas è corporis interitu reuiuiscit, virtutes è familiarum institutione repetuntur. Audistis, opinor (omnium enim sermone percrebuit) quoties instet aliqua publicæ rei calamitas, ex eius corpore futuræ pestis indicem sudorem erumpere. Ita est, quemadmodum dicitur, Auditores: omnino, cuius tactus corporis Cratianas aquas vbertate primum, deinde salubritate sic auxit, vt præsens ex ea peteretur medicina morborum omnium: eiusdem sudor corporis impendentia Reipub. mala tanto ante denunciat, quæ vel populi ferre moderate, vel ciuitatum rectores prohibere possint. Quæ virtus igitur & quanta, Deus immortalis, est, per quam & omnia beatæ vitæ commoda Respub. consequuntur,

tur, & omnibus medentur incommodis vrgentibus & futuris? Diximus de commoditate: nunc, quod erat in propositione tertium, de disciplinæ diuturna sanctitate videamus. Quo de genere sic sentio, Auditores, mediocritatem illam Euripidis auream ab Aristotele sæpissime laudatam, cum in rebus omnibus diligenter, tum in exercitatione virtutum multo diligentius esse retinendam: propterea quod tantum virtus à vera ratione distat, quantum à moderatione discesserit. Neque quidquam omnino constans, aut diuturnum esse potest, quod non custos illa decori mediocritatis ratio moderetur. Robusti est labores perferre: mollire sapientis, hoc est, fortis, & ipsa virtutis ratione moderati. Horum vtrumuis subtrahas, corruat alterum necesse est. Scio quosdam fuisse minime quidem malos sui nimium amantes: hi splendido virtutis nomine perstricti, eiusque, quam vnam propositam habebant, suauitate deliniti, rem vmbratilem esse virtutem, & delicatam putabant. Apud hos nihil viuidum, nihil austerum, nihil forte, nihil robustum, præter speciem, nihil virile reperies:

tem diuinam pertinere arbitror, quod Raymundus affirmat, non hic, quem dudum ad aras publicis sacrorum cæremonijs è cælo deuocauimus: sed alter illo recentior, auctor & ipse grauissimus, summus huius Ordinis Moderator, ac sapientissimus Magister. nam cum huic Virgini postulanti Regina rerum, ac cæli matrona Virgo paruulum è cælo Filium allatum in eius gremio collocasset: diu contemplata florem ingenuæ Diuinitatis in pueri vultu, animaduertit Agnes, è paruuli collo paruā tenui filo suspensam crucem. hanc igitur Agnes, quasi furtim illo iam abeunte subripit, sic vt amicorum nos armillas, & anulos detrahere solemus. Delectatus pio illo, vt ita dicam, furto Virginis Dei filius arrisit, & facile passus est, illam hoc mutuæ beneuolentiæ perpetuum in omnem vitam habere monumentū. Hæc illa crux est, Auditores, quam etiam nunc Politiani cū Virginis corpore conditam in eius ciborio venerantur. Est apud eumdem auctorem, maximam Virginem Dei filij Parentem, ob oculos versatam aliquando tres Agneti lapides in manifesto lumine

mine porrexisse : cum diceret, illam in eo munere vim, & cautionem esse: quidquid vt ageret in posterum, id Augustissimæ Trinitatis nomine susceptum, eiusdem virtute fundaret, & æternitatis firmitate stabiliret: cape tres, inquit, istos lapides filia: monumentum in numero sempiternæ Trinitatis agnoscis. fruere felicitate tua, & vale: meminerisq. te mihi semper addictam, cordi futuram semper: & vnius, triniq. Dei virtute firmatam, meo nomini domicilium, templumq. posituram. In dicto conspectum sui subduxit Regina: tres lapides Agnes in manu sibi relictos videt: at animum suum ad auctorem muneris mundi dominam euolasse sensit. Quid? illud num omittemus, quod indidem est? supra naturam corporis, & extra sensus quodam tempore sublata sibi versari videbatur in cælo. locum irriguum vbertate fontium, purpureaq. lucis amœnitate lætum cernebat, immortalibus amarantis, æternumq. fulgentibus hyacinthis. Iam species ipsa lætissima discoloris amœnitatis, odorumq. suauitas, quæ difflaretur è floribus: & variarum concentus iucundissimus

ſimus auicularum, tum aquarum belle cadentium admurmuratio: nec non auræ ſuſurrus inuolutus frondibus ad numerum adſibilantibus è ſylua: quantam vel animo iucunditatem affunderet, vel obliuionem induceret cæterarum curarum, non niſi qui ſenſibus explorarit aliquando, conſequi coniectura poſſit. in medio loci teſtudo perplexo, & camerato topiario conueſtita, ſellam opacabat supernè incubans, ſplendido ſuffultam thoro, multo auro, argentoq. lucidam, & illuſtrem pendentibus vndique margaritis: In ſella regio ornatu corporis, oris incredibili dignitate, conſtanti iam ætate virgo pulcherrima. circa Virginem haud multum inter ſe diſſimili venuſtate formæ (qualis videlicet eiuſdem indolis in conſanguineis ſimilitudo ſpectari ſolet) aureis amiculis velati frequentes adſtabant puellarum, & puerorum globi. Reginæ ſubſeruire videbantur è ſella cælum, maria, terras, nutu, geſtuq. moderanti. horum alij, facto choro vocum, tibiarum, neruorumq. concentu, carmina modulabantur: alij, tamquam auram refrigerarent, euentilatis vtrimq.

carba.

carbasis Reginæ ventulum faciebant. Dei mater erat, quæ lætissimam hanc sui speciem obijciebat Agneti: quo illa difficillimi morbi molestias futuras, & iam aduentantes huius lætissimi conspectus recordatione lenire posset. Iam quantum illud, quæso, fuerit, Auditores, quod huic Virgini nihil immortalis sponsus denegabat? cur autem negaret? quæ cum maximè cælestium gaudiorum affluentia maderet, cum potiretur maxime voluptate diuinitus impertita; nihilo tamen secius ipsum illum sensum, ipsam illam lætitiæ iucunditatẽ vt illa sua perpetua crucis acerbitate temperaret, ad infimum sese demittebat obsequium vltimæ necessitatis. Ergo contra voluntates ire: spiritus frangere: sublationem animæ premere: nihil ineptæ lætitiæ concedere: cogitationem à rebus lætis ad mœstas imagines traducere: sensibus imperare: in potestate cupiditates habere: motus animi regere, versare, quocumque ratio suaderet impellere: facilis aduersus æquales esse; superioribus ætate, locoque plurimum cedere: ingenij tractabilitate flexibilis: omnibus obsequens: aduersa nemini; sororibus vera videri

malle,

malle, quàm blanda, si veritas agere- tur: malle blanda, quàm mœsta, si cu- iusquam animi mœror minuendus es- set: sibi nihil eximium arrogare: sum- mam tantum virtutis capessere: fidem, misericordiam, beneuolentiā expromptas habere: functiones humilium mu- nerum obire: tergere: lauare: coque- re: secum nihilo minus habitare: lectu- lis sororum ægrotantium assidere: ni- hil demum in tuendis iustitiæ partibus prætermittere rerum illarum, quas in sororis otio Marthæ sedulitas require- bat. Et quidem plura prætereo, quàm dico: ne citius vos audiendi, quàm ego finem faciam dicendi: tamen illud, quia nouum est, & inauditum, præterire ta- citus nullo modo possum. Dominico die (fides huius facti penes Raymundum est) Virgo sese commentandi studio in solitudinem abdiderat. Hic diuinis vo- luptatibus vberrimè refecta, tamen ab illa numinis indulgentia diuelli non poterat. Instabat sacrificij tempus, quod illo præsertim die non obire piaculum erat. Quid faceret? discederet? spon- sum deserebat. maneret? offendebat. rogaret, ne abiret? insolentis erat. vt abire liceret, oraret? non audebat. ob-

sequium

ſequium humilitas poſtulabat: præſentiam charitas exigebat: Eccleſiæ non parere nefarium erat: amori repugnare violentum. hærebat: æſtuabat: quid conſilij caperet: neſciebat. Explicat nodum Deus, & ipſe Virginis præſentia delectatus, illam dimittat? at ſpóſam mœrere cernit. retineat? æſtuare non vult. diſcedat ipſe? minus facilis videri poſſet. permaneat? præcepti vis remittenda non eſt. in illo temporis articulo præſentia Virginis carere velle, fortis eſſet; nolle, diligentis: quid agat? cum eius abſentiam Eccleſia non ferret, amor præſentiam flagitaret: ne quid illi negaſſe videretur, maluit virginem ſacrificio non adeſſe, quàm fruendi ſui iucunditate priuari. Nec mirum, ſi, qui Dominus eſt etiam Sabbathi, ſponſam ſui cupidiſſimam diei religione liberauit, Dei requiete refecit. Ergo cæleſtem illico miniſtrum ad Virginem, cum ſacroſancto Chriſti corpore demittit: ne cuius contemplatione tantopere oblectabatur, amoris pignore careret communione corporis. Magnum eſt hoc, Auditores, arctiſſimæ familiaritatis argumentum, mirum, inuſitatum, nouum: &, quod ſciam, ante

hanc

hanc Virginem illo modo concessum nemini: ac si semel tantum illi concessum fuisset; tamen nimium multum videri posset. Nunc idem in eadem sæpe reuocatum, pene iam dixerim vsitatum esse cœpit. Decem enim postea continentibus Dominicis diebus eiusdem muneris eadem largitate cælesti ministerio vegetata est. Quid? quod cum illi, quemadmodum diximus, difficillimus morbus immineret, quo morbo cōfecta demum Agnes ad Agni nuptias decessit, cuius animum ante corpore saginauerat, sanguine colorauit? prorsus eadem benignitate muneris, simili functione cælestium, specie diuersa virtutis; charitatis maiore documento. Vt enim Pater Deus, ea nocte, quæ Deo Filio morituro suprema fuit, impendente fœdissima tempestate postremi laboris, per cælestem ministrum calicem obtulit Christo: sic Christus ipse sponsæ, quam vnice diligebat, vltimum discrimen adeunti, sanguinis sui poculum non semel, aut iterum, aut tertio, sed sæpius propinauit. Ne videlicet, quandoquidem verus amor ex similitudine spectari solet, eius exitus dissimilis videretur, cuius fuisset vita simillima.

ma . Non ſum neſcius, hæc mira quibuſdam videri: quæ ſi mira ſolummodo, non falſa dicunt, cum capere ſe poſſe negent, ob imbecillitatem ingenij ferendi quoquomodo ſunt. ſin falſa eſſe contendunt: propterea quod à ſumma dignitate numinis illis hæc diſcrepare videantur, ne quid dicam grauius, viderint ipſi de dignitate quam recte iudicent: de bonitate certe diuina nimis anguſte, demiſſeq. ſentiunt. Sit ita ſane, dixerit quiſpiam. fuerit Agnes Deo familiariſſima, concedatur, quod ſi negetur, obtineri nullo modo poſſit, non aridam, non exilem, non ſterilem, ſed vberem, ac feracem innumerabilium bonorum iſtam in Agnetem numinis voluntatem fuiſſe. Verumtamen Agnes frugifera ſi fuit, ſibi fuit. aut quemadmodum iſta domeſtica virtus alijs fructuoſa fuerit, requiro. Quid tandem boni peruenerit ad Rempub. ex iſta quietæ virtutis effectrice beneuolentia numinis? Quid? quaſi vero non ipſa princeps eius beneuolentiæ propago iuſtitia bonum publicum, maximumq. ſit: aut quiſquam amiciſſimus Deo poſſit eſſe, quin idem ſimul iuſtiſſimus ſit, & ab omni-

 bus

bus honestatis partibus vsquequaque cumulatus, aut Rebuspub. non vnicè prosit, in terris esse, qui, quoties sit opus, qua pollet apud Deum gratia, nunc iracundiam summi vindicis mitigare possit: nunc optimi parentis ad beneficentiam prouocare bonitatem. Et quidem Agnes quàm sæpe prouocauit? percurrite, quæso, cogitatione triginta Virginis annos, vitæ curriculum eius ætate breuissimum, immensum gloriæ: nullum punctum temporis vacuum eius maximo aliquo beneficio reperietis: ac simul intelligetis stultissime conqueri mortales de breuitate vitæ; cum in exiguum illa vestigium temporis, non tam sibi viuendo, quàm de omnibus optimè merendo, immortalitatem nominis, & innumerabilia propemodum decorum honestamenta concluserit. breuem quidem vitam acceperat; quam tamen fecit, dum meliore sui parte sibi, reiq. publicæ viueret, non ætate corporis, sed mentis æternitate longissimam. In hoc igitur angustissimum vitæ spatiū, quemadmodum ille nescio quis in perexiguam membranam Iliadem Homeri, sic illa virtutum æternitatem, &

immortalitatem nominis illigauit. Hic exorata pax: hic diffidia sublata: hic conciliata concordia: hic templis inducta religio: hic annonæ laxata caritas: hic opportuna frugibus impetrata tempestas: hic nefariorum hominum præceps improbitas à scelere reuocata: hic reprehensa crudelitas: hic incitata clementia: hic innocentia recreata: hic audacia compressa: hic omnium morborum genera depulsa: hic vita functi è mortuis excitati: hic elementis ipsis, & aquis salubris infusa perennitas: hic omnis virtus ad omnes officij partes exposita, iustitia, sapientia, fortitudo, temperantia, lenitas, fides in medio collocata. mores emendati: expiata lupanaria: fundata templa: virginum instituta collegia: sanctitatis institutio ciuitatibus tradita: propagata demũ ad posteros exempla probitatis, simulacra virtutum, ornamenta morum, auctoramenta cælestium, inuitamenta laudum, decreta sanctissimæ disciplinæ. Themistocli Solonem anteponunt Rhetores, quod victoria Themistoclis ciuitati semel profuit, institutio Solonis semper. quod si multo fructuosius & gloriosius

est, vt gloriosissimum, ac fructuosissimum semper est habitum, de ciuitatibus optimè quam diutissime mereri: erit hoc in vltima parte tuæ laudis, Agnes, oram vltimi nullam in communi beneficentia cerni virtutis tuæ. Tu non viua solum ciuitatibus, sed etiam mortua profuisti: si mortua vere dicitur, cuius animum cælum accepit, memoriam in templis Reges requirunt, salubritas è corporis interitu reuiuiscit, virtutes è familiarum institutione repetuntur. Audistis, opinor (omnium enim sermone percrebuit) quoties instet aliqua publicæ rei calamitas, ex eius corpore futuræ pestis indicem sudorem erumpere. Ita est, quemadmodum dicitur, Auditores: omnino, cuius tactus corporis Cratianas aquas vbertate primum, deinde salubritate sic auxit, vt præsens ex ea peteretur medicina morborum omnium: eiusdem sudor corporis impendentia Reipub. mala tanto ante denunciat, quæ vel populi ferre moderate, vel ciuitatum rectores prohibere possint. Quæ virtus igitur & quanta, Deus immortalis, est, per quam & omnia beatæ vitæ commoda Respub. consequuntur,

tur, & omnibus medentur incommodis vrgentibus & futuris? Diximus de commoditate: nunc, quod erat in propositione tertium, de disciplinæ diuturna sanctitate videamus. Quo de genere sic sentio, Auditores, mediocritatem illam Euripidis auream ab Aristotele sæpissime laudatam, cum in rebus omnibus diligenter, tum in exercitatione virtutum multo diligentius esse retinendam: propterea quod tantum virtus à vera ratione distat, quantum à moderatione discesserit. Neque quidquam omnino constans, aut diuturnum esse potest, quod non custos illa decori mediocritatis ratio moderetur. Robusti est labores perferre: mollire sapientis, hoc est, fortis, & ipsa virtutis ratione moderati. Horum vtrumuis subtrahas, corruat alterum necesse est. Scio quosdam fuisse minime quidem malos sui nimium amantes: hi splendido virtutis nomine perstricti, eiusque, quam vnam propositam habebant, suauitate deliniti, rem vmbratilem esse virtutem, & delicatam putabant. Apud hos nihil viuidum, nihil austerum, nihil forte, nihil robustum, præter speciem, nihil virile reperies:

ries: nomine tantum virtutis efferuntur, quid ipsa polleat, ignorant: atque esse sibi tunc beatè putant, cum blanditias illas ex Cantico verbatim edidicerunt: oscula, vina, vbera, odores, vnguenta, tum hortulorum amœnitates, accubationes epulares, auream, & quietem in meridiem, murenulas aureas vermiculatas argento, laquearia cedrina, & cupressina, lectulos argenteos pomis aureis aspersos, quia suauiter influunt in aures, admittunt facillime, atque in numerato habent. Contra vero laboriosæ virtutis experimenta tanquam cruciamenta repudiantur animorum. Ergo tabernacula pastorum ex eodem carmine, myrrhæ fasciculos inter vbera collocandos, equitatum, currus, Aminadabi quadrigas, leonum cubilia, latibula pardorum, castrorum aciem instructam, clypeos è turre suspensos, decolorem ex sole vultum, excubias nocturnas, errores, vulnera, quia videntur ærumnosa perpessu, quasi qui non Christum, sed Epicurum sectentur, auditu percipere non possunt: animis respuunt: ad se pertinere negant. Itaque quoad sensus ille velut aura voluptatis aspirat, bellis-

bellissime vehuntur: si tantisper hæserit, continuo, tanquam reflauerit, à Christo retrorsum vela vertunt. Ecce autem alij virtutem verbis, vt aiunt, Herculis inuadunt: tristem quandam ac trucem morum incommoditatem, à Stoicorum, & Cynicorum importunitate meditantes. Incultum illis ingenium: asperi mores: rarus affatus: vultus horridus: cultus corporis obsoletus: mœstis supercilijs adducta, frons, vt illa rempublicam, tanquam, Atlante cælum sustineri putes. Calamitosissimi mortalium, nec Bracmanum quidem inconditam feritatem, aut Druydum sæuitiam immanem à se remoueri iudicant oportere. virtutis vim omnem in aspero, agrestiq. vitæ cultu, ac feritate ponunt. Itaque quibus honestatem voluptas eripere non potuit, extorquet immanitas. Aliter in Agnetem sese ostendit veræ honestatis decor: ergo perpetuus, & constans, eodemq. tenore productus vitæ color. Erat illi celsus animus, alacer, erectus, ardens, egregie factus ad honestatem: ingenium come, liberale, iucundum, & quod idoneam Dominici disciplinam aliquando nactum nul-

Iam officij, decoriq. partem præterire posset. Vultis illius ætatem inspiciamus? sane vultis. ab incunabulis ordiamur. inde vsque sensim producta virtus in omnem vitam eius intenta pertinet. Principio matri, dum nascitur, puerperium lætum, ac splendidum attulit, cereis facibus compluribus circum puerperæ thalamum, Superum, vt credi fas est, opera dispositis, & ad multas horas collucentibus. Aderant matronæ complures nobiles, puerperæ difficillimo eius tempore opitulantes. imminentes aere clarissimo splendore faces conspicatæ mirabantur omnes. Manifesta res erat: dubitari non poterat: vera cernebant: sed vnde penderent, vnde prolatæ fuissent, ambigebatur. dum nihil dignum, aut verisimile reperiunt, cælitus esse promissas arbitrantur. quod suspicentur aliud nihil habent. & vero cælestibus curæ fuisse, natalé vt puellæ diem illustrarent, & ad populum fama pertulit: & Politianis ita persuasit, vt ad hanc diem nemo Politianorum vnquam fuerit, quin ambigi de re tam manifesta, tamq. testata temerarium putaret. Diceret hic aliquis, aut for-

fortasse dixit diuinitus afflatus aliquis. Iam nunc in ipso vestibulo lucis augustam puellæ speciem venerari decet. quod erat æterni sponsi proprium cum sponsa communicatur. Sponso nascenti nouum sidus, noua flamma præluxit: ortum sponsæ cælesti splendore diffuso natalitiæ declarant faces. quia licet, ò cura cælitum Virgo, de te nobis omnia præclara iam nunc augurari libet. tibi nequaquam olim vitæ cursus obscurus erit, cui contigit illustris ortus. ac nihil in æuo virtutis tuæ terrestre, nihil inglorium futurum natales cælitus illatæ præmonstrant faces. Itaque quemadmodum sedulæ fauorum opifices apes succum aeris, cælestemq. rorem ex omni flore depastæ, cereas illas, vt ita dicam, vrbes moliuntur, easq. melle constipant, non sibi solum, sed etiam nobis: sic tu, quia tibi non tota nasceris, sed tuis plurimum sibi cælum, & patria vindicabit, suauitatem ex omnium virtutum honestate delibatam in commune conferes: optimæ disciplinæ sobole propagata. & hæ quidem faces luce lucent aliena: tu ceterorum honore fulgebis, & tuo. faces corripue-

runt aliunde flammam: animò tuo lumen afflatur è cælo: quem ipsæ nutriunt igne colliquescunt faces: te materiam amandi præbituram Deo diuini amoris flamma depascet. Complures simul in ortu tuo præfulgent faces, quia vita tibi non vnica, nec simplici virtute nobilitabitur. facibus illatis nocturnæ tenebræ minuuntur: virtutibus tuis tenebricosa vitia decedet. nocturnum iter illustrant faces: tu nobis errantibus prælucebis exemplis, & offensionum impedimenta remouebis. Postremo calorem faces cum luce suppeditant: hominum pectora vitali charitatis tuæ lumine concalescent. clara nasceris, victura præclare, numquam obscura morieris. nobilitatem nominis auspicium promittit natalis luminis. Hæc aliquis fortasse vaticinabatur, & verè. igitur ad reliqua pergamus. Iudicandi tempus anteuenit studium supplicandi: sic vt eius infantia frustra requiratur in eius ætate, quam ætate maturior pietas propemodum intercepit omnem. & quod quinquennis fecerat ista, quæ iacet ad aram in Rosario Catherina genere Senensis, virtute cælestis, Agnes bien-

nio

nio citius trimula repræsentauit. nam precationis formulam à Christo traditam, & salutationem Angeli non arripuit solum (quod in illa tamen ætatis imbecillitate mirum esset) sed etiam identidem, sic vt omnino sapere videretur, ab æqualium collusionibus in solitudinem vspiam seducta, memoriter, suppliciter, diligenter vsurpabat, opem exposcens à cæli Rege. Atqui hanc Virginis pietatem non, vti dicitur, in cuti fuisse, nec in specie tantum honestam, aut ex leuitate puerili, declarauit id, quod postea consecutum est. Nec enim ita multo post amoris tæda vehementiore tacta, maioreque inflammata specie sanctitatis, cælum mente complexa, voluntaria sponsione florem virginitatis addicit Deo. Laudem hanc immortalitatis esse, non ætatis, nemo dubitabit, si secum ipse recordari volet, quemadmodum teneritas quædam, & mollities illius ætatulæ, neque res optimas dispicere prudenter: neque suscipere constanter: neque certo bonorum, & malorum fine constituto consilia dirigere: neque cursum omnino vitæ, sicut decet, ad laudem, & honestatem instituere possit.

Virtutis enim, & beatæ vitæ lumen serius apparet: vt in multis etiam prouecta longius ætate vix existat: quare Plato præclare dixisse visus est beatum, cui vel vnam certam sententiam assequi contigerit in senectute: nunc autem cum expressa cernamus in Agnetis infantia lineamenta sapientiæ, constantissimæq. vitæ, quæ leuiter plerumque in ceteris adultæ iam ætatis hominibus adumbrantur; profecto maiore quodam, quàm vsitato more præsentiam illi Numinis affuisse statuendū est. Refert hoc loco meminisse, quanta fuerit in illa pueritia, quàmq. accurata consideratio, cognitioq. rerum cælestium. Refert cognoscere, quàm longe à puerili leuitate secederet, & quam fortis esset, quàm temperata, quàm iusta, quàm prudens in suscepta colendæ, fruendæq. sapientiæ ratione moderatio. Vidisses paruulam supra modum ætatis ingenio seueram; missa paulo ante nutrici mamma, diuinæ sapientiæ velut vber auidius appetentē; à sororijs, sobrinarum, & consobrinarum lusionibus abstinere: pedem extra conclaue maternum numquam, nisi iussam, efferre: viciniam omnino

nescire: publicò libentissime carere: rarò puerilibus cœtibus aggregari: æqualium comessationibus interesse nunquam: domesticis etiam familiarium (vt erat in ampla, & locupleti domo nata) conuiuijs frequentibus infrequentem esse: cognatorum, & affiniũ, qui tantam indolem Virginis amplexati insatiabiliter oscularentur, mollem indulgentiam auersari: paternam domum credere sibi tamquam hospitę non habitandi, sed commorandi locum assignatum à Deo: seueris sermonibus aures, animumq. diligentius aduertere: plurimum in publicis Ecclesiæ sacrificijs, precibusq. ac concionibus versari: ex ijs, quæ digna scitu iudicasset, animo combibere, memoria scpire, rebus in actum fideliter prouocare. tum hæc omnia non aspero, non agresti, non pertinaci more retinere mordicus: sed interdum remittere prudenter: & illam quasi mœstitiam exhilarare verecunde; seueritatemq. morum obsequenti facilitate quadam, atque ingenij festiuitate condire. ductus erat, status q. corporis ad dignitatem non arte compositus, sed sua sponte concinnus. vultus

à mœ-

à mœſtitia flexus ad hilaritatem. in veſtitu munditiæ quærebantur ſic negligenter excultæ, magis vt offenſiones vitaret oculorum, quàm vt illam rem ſua cura, ſuaq. diligentia dignam putaret: inceſſus ad conſtantiam temperatus: verba numero pauca, ponderè ſententiarum multa, ſuisq. æſtimata momentis: riſus rarus, incertus, breuis, humanitatis index. explicata ſupercilia viuidis luminibus, & ſerenis. animus integer, & intentus, cæleſtium capax, obſequio promtus, officij gnarus, iuſtitiæ tenax, docilis, impiger, conſtans, ſui compos, & rector, humana contemnens: &, quod illi primum ſemper erat, apprime caſtus. vbi vero (quod vti diximus, identidem accuratiſſimeq. factitabat) in intimum cubiculum ad aram domeſticam orandi gratia ſeceſſiſſet; hic, excepto genubus corpore, palmisq. ſuppliciter aut ad pectus admotis, aut ſupinis, aut duplicatis, animum à ſenſibus auocabat, & ſpem omnem, amoremq. quoad poſſet transfundebat in Deum. O tecta illa, quæ tantam indolem educabant, beatiſſima. quæ tum in illa domo dicebantur, quæ legebantur, quæ cogitabantur?

bantur? officiorum rationes: hone-
ſtatis fines: admonitiones temperan-
tię: iuſſa prudentiæ: verecundiæ le-
ges: modeſtię pręſcriptiones: decre-
ta ſapientum: ornamenta virtutum;
hortamenta probitatis: exempla me-
liorum: incitamenta beneuolentiæ: di-
uinę monumenta charitatis. vos vos
appello, Politiani colles, vos arę, vos
templa, vos odea, vos ſacella teſtor,
in quibus illa plurimam pueritię par-
tem tranſigebat, ecquid illius paruulę
religione, ſanctitate, pietate, modeſtia,
moderatius, ſanctius, grauius, magni-
ficentius ad vos acceſſerit. cuius qui-
dem accedentis ita iucundus ac gratus
conſpectus erat: vt ipſe locus appete-
re venientem, atque affari quodam
modo ipſi, prope parietes geſtire vi-
derentur. Hæc vita Virginis erat: &
eius Virginis, quam niſi diuinus amor
tantę mentis afflictor ad tantam mo-
rum honeſtatem nemo alius informare
potuiſſet. Agnes igitur in omnium
auribus, oculis, animis habitabat; &
quo tãdem tantę virtutis indoles eua-
deret, ſpe pręceperant: taciti exſpe-
ctabant. Nonum annum vix attigerat,
cum multis precibus tandem parentes

exora-

exorauit, vt horum Patrum disciplinę, quę tum, vt semper, ex omnibus vna numerabatur excellentissimarum officina virtutum, & nomen daret, & reliquum omne tempus ętatis addiceret: Nihil hìc vulgare, nihil mediocre cogitabat: hancq suam domum dicebat. hìc tamquam idoneum nacta solum, & comprehenso, qua radices altissimas ageret, stirpibus penitus infixis, & corroboratis, patulisq. virtutum, vt ita dicam, ramis vndequaque diffusis breui tanta stetit, quantam assequi cogitatione vix possumus, oratione ne vix quidem possumus. Alij continuo mores: idem animus caduca despectans, & se ipso melior in dies, & ad spem immortalitatis erectior. & tamen sic summa spectabat, vt obtemperando vltimę necessitatis infimis functionibus adhęresceret. Hęc sedes erat, hìc fixo vestigio virtutes omnes auidissime complexa, post quinquennium ceteras docere diligentissime cœpit, quod ipsa diligentius didicisset. Quintum enim & decimum annum, nondum exegerat, cum Porsennij (oppidum, id est in Hetruria ad Clusinas paludes à Porsenna, vt ferunt, Hetru-
scorum

ſcorum Rege conditum) cœnobium virginum à ſe conſtitutum cœpit iam ceterarum magiſtra moderari. Porſennij quod ętatis fuit, non tam vitę, quàm virtutis ętas fuit. Hìc acerrimum illud quindecim annorum ieiunium inchoatum, ac perpetuo custoditum aduerſariam ſenſibus mentem, & cęleſtium appetentiſſimam diuinę voluptatis vbertate ſaturauit. ac neſcio, an illud magis mirandum ſit: quod in arctiſſimo illo vitæ genere, cum ita duriter ingenium, ac corpuſculum haberet ſuum: rationem tamen habebat humanitatis, & incredibili ſeſe facilitatis, & liberalitatis opportunitate ceteris dabat. Quid reliqua perſequor? pleniſſima ſunt, quę deinde ſequuntur, honeſtiſſimorum conſiliorum, & factorum: nec minus poſtrema medijs, quàm media primis eodem ducta filo ſumma cum dignitate reſpōdent. Neque enim, vt Apelles, cum exordium vitæ quaſi caput politiſſima arte perfeciſſet, ceterum corpus reliquit informatum, ac rude. verum deberi diutius patrię tanta virtus non potuit; itaque poſt quintum decimum annum, cum trigeſimum eſſet ingreſſa,

Poli-

Politianum patriæ voce reuocatur. Apud suos incitatior quàm ante cursus ad omnem laudem susceptus est: quo maius theatrum erat, & quo vitæ meta propinquior. Ad oppidi pomœrium collis est in tumulum ascensu facilem sensim elatus. hìc fœdæ passim cellæ meritoriarum mulierculararum, iuuentutis Euripi, pudicitiæ Syrtes erãt. ex hoc vitiorum, vt ita dicam, omniũ diuersorio coruorum ingens examen deuolans, succedentem oppido puellam aliquando certatim accessu deterrere conabatur: & conglobatim vndique rostris, atque vnguibus appetebat. Fœda visu res, inuolantes in oculos coruos abigere Virgo, seq. illa peste explicare non poterat. Obscœnas aues, mali dæmones, loci custodes aut immiserant, nescio vnde concitas: aut ipsi sese teterrimarum auium imaginibus occultauerant. qui Virginem flagitiosissimis omnium scelerum auctoribus inimicissimam vexarent: veriti nimirum, ne quam oppidi partem luparum ipsi ganeis polluissent, eam huius Virginis aliquando sanctitas expiaret. Nec secus, atque coniectura erat, euenit. Politianum enim Por-

ſennio regreſſa Virgo nihil habuit prius, quàm vt peſſimis mulierculis, aut eiectis, aut ad relictam pudicitiam reductis, infamem illum adoleſcentiæ naufragijs perpurgaret locum. Quo pacto, continuo templum ibidem maximæ Virgini collocauit: vt vbi perditiſſimæ corruptelæ veneficijs pudor antea conflictabatur, ibi ſacrarium pudicitiæ religioſiſſimum cerneretur. Tertium addit, & quidem honorificentiſſimum publicum munus integritatis ſuæ teſtimonium, argumentum ſingulare probitatis, aſylum pudoris, ſanctimoniæ cæleſte perfugium, Virginum collegium ex Politianæ nobilitatis flore conſcriptum. hoc quoque Politianum cœnobium Dominici caſtiſſimis legibus ſeptum, Agnetis conſilijs inſtitutum, Agnetis moribus temperatum dum Dominici patris veſtigijs, & Agnetis matris exemplis inſiſtit, æmulatur in Agnete Dominicum, Agnetem in Dominico meditatur. Reſtat exitus, actus Virginis extremus, honeſtiſſimis vitæ principijs, medijsq; preſtantiſſimę virtutis temporibus ſumma cum ſimilitudinis, & conſtantiæ dignitate conſentiens. Neque

vero,

vero, quemadmodum inepti Poëtæ solent, cum omnem quasi fabulam superioris ætatis diligentissimè perscripsisset, supremum actum vitæ neglexit. hìc mea vox deficiat, necesse est: & quo loco Virginis sibi semper simillimę virtus pulcherrime stetit, vos Orationem meam succumbentem subleuetis oportet. Quis enim satis pro dignitate, vel desiderium beneficentissimę matris deplorabit: vel integerrimę Virginis honestissimum exitum prosequatur? Quis occasum tanti luminis mœstissimum ne dicam, an lætissimum? certe tamen occasum, æquo animo recordari potest? dicam tamen, vt potero, quando quemadmodum cupio dicere non possum. Iam fessum laboribus corpusculum cælum appetens animus Virginis, tota cogitationum, ac voluntatum suarum mole subnixus, & virtutibus exaggeratus deserebat. Iam eius animi receptum à rebus humanis in arcem beatæ vitæ, & reuocationem Virginis è terris canebat Deus. Cratianas aquas, quas recuperandę salutis gratia sororum coacta precibus adierat, minus in se salubres esse senserat, quas alijs ipsa fecisset

set

fet saluberrimas, ac salutares. pulcherrima sobole religiosissimam disciplinam fundauerat. Porsennij, primũ eius domicilium, Virginum frequentia, virtutum exemplis florebat. Templum opere nobilissimum, religione sanctissimum ad infame paulo ante Pomœrium stabat. Lectissimarum virginum numero, nobilitate, virtute Politianum Cœnobium frequentissimum videbat. felix omnibus; vni sibi videbatur infelix; quę grauissimi morbi molestias amoris erga sponsum immortali iucunditate mitigaret: amorem ipsum sponsi conspectu explere non posset. vitam, quàm alij longam rogant, tam illa breuem: formidabilis plerumque ceteris, illi mors erat optabilis. Adfuit tandem implorata sæpe meditata semper, si tamen mors illa dicenda est, ex qua vitę beatissimę virtutem consequens aperitur æternitas. annus eius ętatis agebatur vndequadragesimus: fundatę vero communis salutis à millesimo trecentesimo decimus septimus. ipsa consilij compos, animoq; si quando, tunc maxime vigens affixa lectulo decũbebat ex morbo. intempesta nox erat XII. Kalen.

Maij;

Maij: summo rerum silentio, quo temporé fere somnus arctissimus mortales complecti solet: sponsus adest, neque virginem vt fatuas imparatam ostendit. nam & egregie lampadem adornauerat, & eius animus vt cum maxime vigil in excubijs erat, atque eminebat è corpore. certissimæ spei certissimum argumentum animi tranquillitas omnem nubeculam timoris eiecerat, atque ex oculis elucebat: nec alacritas quidem morientis in illa mali mole defuit, cuius colorem, risum in vultum pectoris hospes assiduus è corde profuderat Deus. finis instabat, & illa iam cælo poscebatur gloriæ maturo exitu, ætatis peracerbo. O illam Virginis deficientis suprema vox sororum adstantium affata mœrorem: certissimus index integerrimi pectoris: immortalis erga filias beneuolentiæ testis: singulare perpetuæ beneficentię pignus: egregiæ voluntatis in patriam obses: & suscepti semel Politianorum patrocinijs nunquam in posterum apud Deum defuturi fides. O illam Virginis extrema vox quàm optimæ spei certa videbatur? quàm plena fiduciæ, consilij, pietatis: quàm illis mori-

moribus digna, quàm digna vita, quàm illi ſapientiæ congruens, quàm ab illa conſtantiæ dignitate non diſcrepans? Adſtabant circa lectulum obeuntis mœrore confectæ Virgines vberrimè flentes. ſolitudinem ſuam plorabant; matrem, filiam, ſororem, magiſtram, ſociam, ducem, vt quamq. memor officiorum dolor commonebat, appellabant: tali Parentis optimæ præſentia ſublata, quam vitam in poſterum ſibi futuram? illamne ſapientiam? illumne florem eripi ſibi virtutis omnis? quibus illa ſubridens; per ego vos, inquit, filiæ, veſtram in communem ſponſum fidem obteſtor, memores in cuius fide ſitis, ne mœrore conficite veſtrum animum, & meum: lachrymis, quæſo, Chriſtianæ iuſtitiæ minimè neceſſarijs temperate. mea neque miſera vita fuit, neque mors erit infelix. & ſic habetote: me, poſt quam liber animus meus in cælum è vinculis caduci corporis euolarit, verè victuram, & memorem veſtri futuram ſemper. Non enim nihil ad animum meum vobis olim eiuſdem inſtituti religione coniunctiſſimum, & multorum annorum neceſſitudine copulatum,

tum,

tum, quamuis beatum, & huiusce mortis, quam vos vitam vocatis, expertem vestra felicitas pertinebit. Nequaquam enim extincto corpore charitatis sensus extinguitur, quae si maximè viget in cælo: si sola regnat: respectabit identidem, mihi credite, sorores, vobis coniunctissimus animus meus ex illa tamquam immortalitatis arce mortalitatem, & solitudinem vestram. Hoc verò domicilium, tolerantiæ vestræ gymnasium, & hanc patriam virtutis vestræ commune theatrum, in fidem meam receptum, nunquam vacuum, aut desertum charitas esse patietur. charitas immortalis est: ne metuite: mea mihi luce chariores filiæ. fidei meæ sponsorem, & perpetuę voluntatis obsidem sponsum habebitis, qui me, nunc appellat, meum. Quod reliquum est; optimum, & primum meum, imò sponsi consiliũ est, votorum vt fidem sanctissimam iudicetis. ac nihil illi Principi rerum acceptius in terris esse statuatis, quàm castum iustitiæ cultum, ac sanctitatem. Inter vos amate plurimum: disciplinæ vim ne resoluite: concordiam retinete: maiorum imperijs obtemperate:

cha-

charitas suprema lex esto. Nunc ecce vocor, ò filiæ mihi iucundissimæ: Iesus vos amet. Valete. Iesus, &, ego venio, postrema Virginis vox audita est. quo dicto, defunctum humanis periculis animum sponso debitum emisit in sponsi sinum. & quasi corpus in somnum componeret, optimæ spei plenissima conquieuit. Hic vero Virginum dolor ipso desiderio tantæ matris resciffus, eo videlicet acrius recrudescit, quo beatior videbatur, & melior, quæ decesserat. Tunc maxime, cum illa singularis sanctitatis argumenta præclarissima cognouerunt, quæ mortem Virginis in ipso consecuta temporis vestigio vndique nunciabantur.

Infantes enim Politiani pueri, qui nondum per ætatem vsum vocis adepti fuissent, parentibus excitatis (somnus enim erat concubiæ noctis altissimus) clara, articulataq. voce testati per oppidum fuisse perhibentur, Agnetem in cælum ad Agni nuptias abijsse. Virginum vero quantum erat extra cœnobium in oppido, Numinis admonitu priuato consilio secum id agitasse dicitur, munus vt hoc sibi

proprium deposcerent, vt maritæ quæ essent reiectis, ipsæ priuatis exequijs, Agneti iusta persoluerent: tamquam nefas esse ducerent, integerrimum eius corpus integerrimi quondam animi domicilium, aliarum, quàm Virginum puris manibus attrectari. Neque publicum politiani consilium recusabat, quo minus ex Senatusconsulto Virgines Virgini parentarent. cum autem deliberaretur de condiendo, condendoq. corpore; tanta repente vis olfactu suauissimi liquoris e digitis exsudasse fertur, tantusq. odor è mēbris omnibus exhalasse, vt satis appareret, ex quo corpore tanta suauitas emanaret: si corpus illud insepultum esse voluissent, nec insincerum futurū, nec alienis odoribus, aut conditionibus indigere. Vera conijciebant. nam hodie sic integrum spectatur, vt propemodum spirare videatur.

Nihil mihi minus in hac laudatione propositum est, quàm hæc illustria, sed externa miræ sanctitatis indicia, quæ miracula dicimus, recensere: de toto hoc genere verbo dicam, longū negotium esse, si persequi numerando velim, quæ cum ante Virginis obitū

per

per omnem ætatem, tum ad nostram vsque memoriam post eius obitum ostenta genere magna, nouitate mira, multitudine varia contigerunt, ita plane, vt intelligi liceat, Agnetis non modo sanctitatem, sed beneficentiam etiam esse diuturnam.

Venio nunc ad singularem Virginis huius præstantiam: qua de vltimo loco constitueram, me esse dicturum. quam ego partem Orationis, ne longum faciam, inuoluam necesse est. Ac quemadmodum Thimantes ille nobilis pingendi artifex, quem sensum doloris in Iphigeniæ patruo assequi penicillo non poterat, occultabat: cũ tamen artificio consequeretur, vt spectatores ipsi suspicarentur illum sensum esse magnum: sic ego vestra coniectura abutendum mihi esse arbitror, quo per vos ipsi rem explicatũ difficillimam attingere suspicione possitis. Video, quàm in amplo magnificoq. loco versor, Auditores: in quo, si liberius euagari velim: nullum finem inueniat Oratio mea. Contra vero, si, ne magnitudine, ac multitudine rerum obruar, ex earum varietate seligam vnum aliquid, quod præ-

ſtare ceteris, & eminere videatur: difficile ſanè iudicium in deligendo, difficilior fuerit in deligentia moderatio. Rhetorum conſilium eſſe non ignoro, quoties in id loci deuenerint, primum conſtituẽdum eſſe, quod exornandum putent: tum illud ipſum, quod ſumpſerint, commode definiendum: quo deſcripto definitionis vnamquãque partem diligenter inſpiciunt; atque perpendunt: tum Iſocratea myrothecia ſcrutantur, & omnes pigmẽtorum arculas effundunt: exempla conquirunt: ſimilia coaceruant: alienam laudem cum ſua laude componunt: virtutem cum virtute contendunt. quod mihi Rhetorum àrtificiũ penitus ereptum eſt, Auditores. quid enim? ſi deligendum eſt aliquid, quid obſecro vos ex Agnetis laudibus omittendum eſt vt vulgare? quid vt eximium, ac ſingulare potiſſimum ſeligendum? iuſtitiam ne præferendam putem? eſt illa quidem in Agnete præſtantiſſima: ſed fortitudo videtur excellere. fortitudinem anteponam? at illi iuſtitia non cedit: an temperantiam? prorſus id ampliſſimum ornamentum eſt: ſed ſapientia videtur

illu-

illuſtrior. ſapientiam? hæc ipſa temperantiæ ſocietate laudabilior exiſtimatur. an eius tranquillitatem, & otiũ laudem? nihil actuoſius. an negotiũ? nihil ſedatius. Religionem? humaniſſima eſt. humanitatem? religioſiſſima. parſimoniam? cum liberalitate diſceptat. liberalitatem? cum parſimonia dimicat. at ſubmiſſionem animi præponam. quæ ne magnificentiã nunquam deſerit? Ergo magnificentiam, quæ nunquam ab animi demiſſione diſtrahitur? Quid ſi taciturnitas anteferatur? hæc conſideratam Agneti peperit in dicendo curam: at eius omnis oratio tacendi ſtudium præcipuè commendabat. num ne ſeueritatem aſſumam? hæc cum clementia cohæret. clementiam? cum ſeueritate ſociatur. auctoritatem? ſemper cum manſuetudine coniungitur. manſuetudinem? nunquam ab auctoritate diſiungitur. charitas vero beneuolentiæ ſic in Deum tendebat, vt ab hominibus non recederet: ita redibat ad homines, vt in Deo fixa perſiſteret. quid pluribus opus eſt? omnis in Agnete virtus, omnis laus ita videtur alteram altera complexa: ſic inuicem impli-

 cata

cata sunt , atque connexa omnia ; vt ea singillatim internosci difficillimum sit . nec quidquam sine magna sui distractione possit ab altero segregari . summa sunt in hac Virgine : præstantissima sunt, Auditores, omnia . quocumque oculos , animumq. conuerto, nihil in ea,nisi præclarissimum,ac singulare reperio . Enimuero tuam hic vocem non semel in Agnetis laudatione versatam audirem libētius Chatherina (Senensem appello) cuius enim testimonio potius vtar, quàm tuo;quæ tibi Virginis huius exemplū ad imitandum ea mente proposueras : tanquā cum illa tibi sperares aliquando in contentionem dignitatis esse veniendum ? Est in manibus epistola, quam ad Christophorā Politiani cœnobij Magistram de præstantissimis, atque immortalibus Agnetis laudibus Catherina scripsit . & quoniam huc nostra deuenit Oratio , vt Catherinæ Virginis omnium consensione sanctissimæ mentionē faceremus ; operæpretium est in hac vltima parte laudationis audiri , quod aliquando Senensi Virgini de Politiana hac Virgine significauit Deus . Accipite : accipite

rem

rem cognitu iucundissimam, auditu incredibilem, grauissimorum virorum auctoritate comprobatam. Raymundus auctor est, is, de quo paulo ante dicebam, Catherinæ Virgini per speciem sensibus illustrem (vt ille sese profusissime semper dabat Deus) diuina voce fuisse demonstratum, Agnetē in cælo consortem æqualis gloriæ sibi futuram. iterum dico, ne cuiusquam aures res tam mira, tamq. testata prætervolet. consortem æqualis in cælo gloriæ sibi futuram Agnetem hanc, de qua dico, ex Deo didicit Catherina. Itane vero? cum Agnete comparatur Catherina? Catherina cum Agnete confertur? illane, quæso, quæ Christianum orbem vniuersum incredibili virtutum suarū admiratione compleuit, ac nominis sui clamore celebrauit? illane, quam sibi Christus ipse de cælo lapsus Matre pronuba despondit? illane, cui coram affabilitate Numinis inaudita præcepta doctrinæ tradere Christus ipse non dubitauit? quàm amice conueniebat ipse sensibus explorandus: quam frequentissimi conspectus, sermonisq. sui consuetudine recreabat? cuius in corpore sensum

vulnerum suorum, & notã amoris impressit Deus? cuius animum immortali charitate penetrauit? cuius pectus exhaustum natiuo corde, suppleuit suo? quæ tantos habuit in amore processus, vt summis Cælitum Ordinibus adoptata summum inter primores cæli principes charitatis adepta principatum, ac dignitatem putetur? Illane magistra Regum? illa Principum moderatrix? propugnatrix illa Pontificum? quæ Vaticanum columen aliquando sustinuit: quæ Petri fastigiũ, ac sellam suis humeris in Vrbẽ è Gallia reportauit: quæ fessam cladibus Italiam à vastitate: quæ nobilissimas vrbes à direptionibus, atque incendijs: quæ Romanas opes: has ædes, has arces, hæc amplissima templa, Cælitum hæc augustissima tecta, hoc publicum domicilium, ac theatrum gentiũ à ferro, à flammis, ab interitu vindicauit? quæ Pontifices Romę, Romam Pontificibus reddidit: quæ pietatem, quæ religionẽ, quæ sanctitatem, quę cõcordiam, quæ tranquillitatem, quæ dignitatem, quę Deum in Vrbem ex Pontificum peregrinatione reuocauit: quæ demum Romę Romã restituit, hæccine

ne

ne in cęlo cum Agnete confertur? quis vnquam id affirmare audeat, nisi qui nõ ignoret, aliud hominum sensum, aliud Dei de virtute iudiciũ esse? quis, quęso, cũ Agnete Catherinam conferendã neget, nisi qui solam Catherinã consideret? quis affirmet, nisi qui seorsum vnam contempletur Agnetem? Agnes Catherinæ non cedit in cęlo: Catherina non est apud Deum Agnete maior. Si verissimum Dei iudiciũ est, cur, cum summam alteram esse testaris, vt neutri quicquam derogetur; non eandẽ pręstantiam laudis, & amplitudinem glorię cõmunicas cum vtraque? nihil hic medium est: nihil est tertium quin vera Catherinę pręmonstrarit Deus, minime dubitandum est. maximam autẽ olim fuisse virtutibus, nunc dignitate summam esse Catherinam, nisi de diuinę iustitię bonitate maligne aliquid detrahere malumus in cõfesso est. quin tu igitur vtrãque fateris esse summã, ne, si alteram esse neges, affirmes alteram: summam dicere cogaris esse neutram? Et vero si Catherinam Virginem sanctissimam esse nõ ignoramus, si beatissimam: ęqualem eius Agnetem, & illi pręmio virtutis parẽ esse, nec impa-

rẽ virtutis merito fuiſſe cõfitendũ eſt.

Quod ſi vere dicitur, oblectari te, Politiana ciuitas, immortali hac tua gloria decet: huiusq. florentiſſimę Virginis amplitudine gloriari. multos tu quidẽ omni genere laudis excellentiſſimos homines genuiſti. multos, quorũ nulla tam inuida poſteritas erit: nullę tam immemores literę reperientur, vt de laudibus eorum maximis poſſint conticeſcere: tamen neſcio quo modo iucundius, ſanctius quidem certe in Agnetis amplitudine, ac luce verſaris. Suſcepit ex te Chriſtiana Reſp. Marcellum Ceruinum, vt hunc primũ nominem, ab omni parte laudis ornatiſſimum virum, regiũ Romani ſacerdotij principatum conſecutum: quem citiſſime raptum terris oſtendiſſe tantùm videtur Deus, vt intelligeremus æternitatem nominis, vitæ quoque cõpendio comparari. Habuit, & habet hæc ætas de te generis, ingenij, doctrinæ, virtutis, ſapientiæ, religionis, honorũ nobilitate ſingulares, ac Romanæ purpuræ ſplendore florentes viros: horum vel animum tuum grata memoria, vel oculos iucundiſſimus aſpectus oblectare poſſit. Quis non Ruperti de Nobi-

libus

libus Cardinalis Amplissimi mœsta, quidem, sed iucunda recordatione delectetur? qui quidem adolescens integerrime castus in ipso virtutis, ætatis, & glorię flore cum occidit, & ipse documento fuit, ad longissimam posterorum memoriam honestate, non ætate perueniri. Viuorum neminem nominabo, ne cuius auribus inseruire videar. & illi quidem in eo dignitatis gradu collocati conspiciũtur: in ea sunt existimatione sapientiæ: in ea celebritate sermonis, vt, quoniam abundant suis laudibus, laudationem non desiderent alienam. Quid verò dicam de sanctissimis, ac beatissimis ciuibus tuis numero non paucis, gloria nõ obscuris: quorum animos adiũcta virtuti fama prouexit, & ad cælum vsque celebrauit? Angelini Danesij Memoriã animo tuo penitus infixam nunquam tu quidem, sepultam esse patieris. nec profectò decet eius viri pietatem in tuo sermone non semper versari: apud quem magnus ille Franciscus hospes diuersatus aliquando, cælum ei pro hospitio reddidit. Iacobi vero Dominicani ciuis tui Diatagorę Persarum Episcopi sanctitatẽ habebis in ore sẽper: eiusq. res

praeclarissimè gestas nulla consequentium annorũ memoria reticebit. Ioannem quoque & Bartholomæum Martinotios cognatione propinquos, religione germanos, Franciscanos ambos, in Christi causa sanguinis alterum Babylone prodigum, ad Memphim alterum Martyrum lauream bipartito corpore consecutũ: quoad literæ loquentur, nulla non requiret ætas, nulla non admirabitur religio posterorum. nam Bartholomæus alter Puccius frãciscus despicientia rerum humanarum in S. Francisci disciplina cum obscuritatẽ nominis quæreret, claritudinem inuenit, & breuissimi temporis repudiata nobilitatem nunquam interiturã adeptus est. Nihil vero de Nicolai Iesuati virtute dicam, qui cognomentum à Iesu facilitate mutuatus, hoc præterea præmium abstulit, vt nullo vnquam tempore tantæ virtutis memoria interire posset. at Philippum Auinionensium Augustinianum, ciuem itidem tuum, in Hispania Religionis causa dissectũ, religionis auctor Christus, cum in Cælitum ciuitatẽ adscripsit, ab ingrata mortalium reticentia vindicauit. Bartholomei quoque Taurusij

rusij mens apud Deũ æuo fruetur beatissimo,& in terris nunquam fama morietur: nec memoria Paganutij Hieronymi non vigebit semper,cui tacitam, & tutam humilitatem S. Francisci secuto, nobilitatem nominis, quam abstulit vita, mors reddidit. Iam vero Franciscus Ceruinus suæ memoriæ summus, idemq. religiosissimus Orator, ne quando posteritatis obscuram, & inuidam obliuionem metuere posset,non tam miraculo siderum caput ipsius præcingentium,quàm splendore virtutum in eiusdem animo collucentium consecutus est. Horum adeo ciuium tuorum, aliorumq. multorum æternitate gloriæ quamdiu voles oblectaberis: tamdiu autem velle debes: quoad illorum exornata virtutibus, illustrata doctrinis, instructa præsidijs, honoribus insignita, tibi ipsa non displices. verum quoties eorum felicitatis recordaberis: toties tibi veniat in mentem, per Deum,te non tam illorum gloriæ, quàm tuæ saluti gratulari. Atque hæc meritissimo illis, at Agnes in altissimum euecta consessum cælestium ciuium, amplissimæq. cum æquali Catherina virtutis, & gloriæ par-

particeps, nescio quo modo maiorem à te volũtatis erga te suæ, perpetuæq. beneficentiæ fructum exspectat. huic tu Virgini, cum eius egregij patrocinij memoriam assiduam, quemadmodũ facis, & anniuersariam in templis gratulationem, ad piam recordationem meritorum suorum reddideris: gratiã dignam tua pietate, dignam virtute, dignam splendore reddideris: tamen nescio quid amplius eius immortalitas beneuolentiæ, ac sanctitatis præstantia à te reposcet. quod si Politianos eius ciues hæc sentire fas est: qui vobis in eam animus, Patres: qui sensus esse debebit? Politiani terris primum, deinde vobis hanc Virginem pepererunt: vos vestræ familiæ moribus excultam, cælo primum, Politianis deinde peperistis: caducam à Politianis vitã Agnes accepit: à vobis æternam. Politiani de ciuis nomine, ac patrocinio gloriãtur: vos alumnæ, vos filiæ gloria triũphatis. à Politianis fuit, vt hęc vestra esset: à vobis est, vt Regibus augusta sit. munus Politianorum est, edidisse, quod erudire possetis: vestrum beneficiũ est excoluisse, quod Regum veneratione coleretur. magna Politianis tribuenda

laus

laus est,quod illi tantã indolem infor-mandã vestrę familię tradiderunt:maior vobis,quod per istam disciplinam, ceu viam ad cælum Dominici virtute patefactam, Agneti templa patuerunt. multũ est,Virginẽ tãtam genuisse terris: plus est illã effecisse dignam Deo. Apud suos Agnes vnius fuisset loci ciuis:apud vos nulli mœnibus circumdatam patriã,in terris memoriã virtutũ,in cęlo glorię æternitatẽ habet.domi quoad fuit,vnius patrię caput vnicũ fuit:vestro munere nũc assecuta est, vt omnium hominũ perfugium cõmune numeretur. Quã igitur Ordini vestro,Patres, quã Politianæ patriæ pro tantis erga se meritis vestris gratiam refert Agnes?quam?immortalẽ,amplissimam,singularem,diuinam, perpetuæ tutelæ constantissimã fidem:profusissimam maternæ beneuolẽtiæ charitatẽ: virtutis suæ pręsentiã salutarem:egregiæ voluntatis æterna monumenta:innumerabilia nobilissimarũ exẽpla virtutum:beneficiorũ incredibilem copiã maximorum decorũ fructum, & istum ipsum sensum pietatis erga filiã alumnamq. vestrã:istam ipsam memorẽ officij beneuolentiam vestrã:quæ de cælo

lo

lo tantum nomen, tam lætum ſidus, tamq. præclaram ſpeciem ſanctitatis, ad hæc magis nobis ſalutaria, quam illi neceſſaria ſacra reuocauit.

Quid igitur ſupereſt aliud, niſi vt, quando Catherinam Deus cũ Agnete contulit, geminam duarum Virginum virtutem, germanamq. gloriam apud nos quoque velimus exiſtimationis, & honoris contentione geminari? vt vt res erit: nos interim Agnetem, cuius virtutem præſtantia ſingularem, diuturnitate conſtantem, opportunitate felicem, genere diuinam eſſe vidimus: grata recordatione meritorum, perpetua reſponſione voluntatum, immortalitate beneuolentiæ, ſacrorum anniuerſaria religione remuneremur: & ſic ſtatuamus, minime vulgarem Agneti gratiam, & honorem à nobis deberi, quam in ampliſſimo virtutis, & dignitatis gradu collocatam, Catherina gentium omnium confeſſione pręſtantiſſima, quamuis omnes neruos virtutis intenderet, æquare quidem potuit, ſuperare non potuit.

Laus Deo, & B. Agneti Virgini.

LAVDATIO

BERNARDINI STEPHONII

SOCIETATIS IESV,

AD S. P. Q. R.

Habita in funere FLAMINII DELPHINII, *Ferrarienſium Equitum Magiſtri.*

LAVDATIO.

OMNIVM cuiuſcumque ordinis hominum, quos è numero viuorũ præclarũ aliquod Reipublicæ munus obeuntes, ſera, cita, mors abſtulit: nemini, Quirites, neque lubentius, quàm amico: neque liberaliùs, quàm bellatori: neque iuſtius, quàm Romano grati doloris hæc acerba ſolatia impendi decet. Nam & eorũ, quibus cum iucundiſſimè viximus, in egerendo deſiderij mœrore ſenſum ipſum humanitatis, quamuis aſperum, atque intractabilem, lacrimis exulcerare, ſuperſtiti iucundiſſimum eſt: & iucunditatis extinctæ memoriam immortalem iuſta luctuoſæ beneuolentię ſignificatione proſequi glorioſum. Ijs verò qui Reipublicę cauſſa procul ab domo bellicę gloriæ cupiditate prouecti patrię fructu, ciuium cómodis, ſuorum conuictu optatiſſimo carere: caput obiectare periculis: vitam naturę debitam virtuti reddere maluerunt: ecquod, obſecro, tàm infinitum

gra-

gratiarum genus excogitari poteſt: quod aut impiè negatum velis, quibus omnia tam piè debeas: aut parcè redditum. quod ſatis abundè perſoluere, neque pro illorum meritis; neque ex tua dignitate poſſis? At Romanum hominem, vt hunc Flaminium fortiſſimum virum, & ipſum cum primis nobilem, & cum pleraque Romani nominis nobilitate permultis, ijſque honeſtiſſimis coniugiorum affinitatibus, ac propinquitatibus mixtum, in tanta rerum vrbanarum affluentia natum, atque innutritum: qui nihilo ſecius maiorum ſuorum aſſidua recordatione ſtimulatus ad omnem laudem animo capeſſat: manu ſuſtineat omnium commune patrocinium nationum: qui publicum humani generis Aſylum, æternam hanc in principe gentium Vrbe ſanctitatis Arcem, & regium Vaticani faſtigij principatum, vbi res ita poſtulet, interpoſitu corporis, atque ancipiti ſui capitis dimicatione propugnet: huius inquam pectoris Romanum hominem omnium gentium ſaluti natum, hunc, vt ita dixerim alumnum, & cuſtodem publicæ quietis nunquam in communi cauſſa ſpiritum profunde-

re du-

re dubitantem, si quis ex humanis ereptum hac vestra testificatione publicæ beneuolentię, atque hoc ciuilium exequiarum honore, sine magno ingrati animi scelere, sine vera reprehensione sapientum, sine iustissimo bonorum odio, sine reliquorum hominum insanabili offensione fraudari posse dixerit: is nullum habet sensum humanitatis Quirites. Periclem scribit Tucydides Oratorem magis aliquāto sapientum litteris armatum, quam bellicę virtutis opibus instructum Imperatorem, in ea laudatione, quā is summum Magistratum gerens ad sepulchra militum more maiorum in suburbanis Atheniensium parentalibus habuit; antequam ad caussę caput accederet, accuratè descripsisse iustissimæ reipublicę formam: tum fructum honestissimę pacis: tum vberrima legum, & Iustitiæ commoda commemorasse: quibus, vt erat disertissimus, luculenter explicatis, addidisse postremò militum illorum magnifica pręconia virtutis: vt diceret, quod superstites Athenienses essent: quod beati, quod florentes, quod preter cæteras gentes sapientissimi iucundissimæ iustitiæ commodis

in al-

in altissima pace fruerentur: illorum sine controuersia iuuenum esse certissimum, ac maximum munus, nulla vnquam ingratæ posteritatis reticentia obruendum: qui Ciuium otium, cruento suo negotio: patriæ salutem sua cæde texissent. Nec sanè minùs egregiè videtur apud Latinum Homerum vltimus ille Romani nominis conditor:

„ *genus vnde Latinum*
„ *Albaniq. patres, atque alta mœnia Romæ:*

cæsos in acie Victores honore memoriæ prosecutus:

„ *Ite ait, egregias animas, quæ sanguine nobis*
„ *Hanc patriam peperere suo: decorate supremis*
„ *Muneribus.*

Meritissimo profectò. sed si nihil præterea ad supremum istum muti cineris honorem adijcis: nisi quod potius est addis ad tumulum: vide ne nimis illiberaliter ijs gratiam retulisse videaris: qui liberalissimè tibi victoriæ fructum laborum suorum discrimine, dignitatem nominis vulnerum dedecore, salutis diuturnitatem immaturæ mortis

acer-

acerbitate pepercerunt. Extincto corpori sepulturam paras. Ergo deterioris in nobis partis ornamenta queris: quæ prestantior sine munere præteritur. Immortalis animi natura quiddam ampliùs pro sua dignitate requirere videtur ex te: quod intermori non possit: quod obseruari velit. Funeris apparatus, sepulturæ conditio, sepulcri cōstructa moles, testesq; temporum litteræ sunt aliquid, non nego, Quirites. Sed non in isto sunt omnia. Nihil enim per Deum immortalem, nihil illi præterea virtuti reddendum est, quæ dulcissimum vitæ spiritum representare Reipublicæ preclarum sibi, magnificum suis, gloriosum Patrie, fructuosum Ciuibus, quamuis luctuosum omnibus iudicauit? paucas ne lacrimulas, quibus nihil arescit citius, ex tuis oculis facilis illa vis vberrimi sanguinis impetrabit: cuius infinitum beneficium nulla consequentis etatis obliuione delebitur? Tumulo ne condes illud exangue corpus: cuius in aduersis vulneribus expressa monumenta cernis, & sue virtutis, & dignitatis tue? eiusne cineres dumtaxat humi sepultos esse patieris: qui si diutius viue-

viuere voluisset; suauiter ipse non viueres? Quidlibet profectò congeras in supremum tantę virtutis ereptę diem: si rectè rem æstimare volueris, infinitis partibus inferius eo esse reperies: quod in omnem ęternitatem, vt quod aptius cum sua dignitate consentiat, ęterna vis illa mentis tui capitis custos, patriæ propugnatrix, æqultatis vindex, prodiga sui sanguinis iustissimè ex te reposcet. Quid igitur illud est, quod illorum vitæ breuitatem digna memoris animi responsione cōpensare videatur? Aliud alijs fortasse fuerit præstabilius gratiarum genus. Equidem nullum aut honorificentius memoriæ munus, aut verius gratæ voluntatis officium à viuis exigere crediderim immortalia promerita mortuorum: præterquam si præclaras eorum virtutes animo complexus colas apud te beneuolentia sempiterna memoriam tuorum: quo similitudinem in te præstantissimæ mentis moribus effingas: & egregias illorum laudes cæteris ad exemplum in illustri monumento ponas. Hominis terrena pars terræ, sumptu quo decet, cōmuni lege mandetur. Animis immorta-

libus immortale sepulchrum exstruendum est. id non in marmore, non in ære sumptuosius, quàm in viuorum pectoribus, animisque gratorum ciuiũ excidi potest. Vt quorum memoriam omnis terra complectitur: famam nulla concludit: eorum ossa certis sepulchri finibus terminentur: animi viua dignitas in mentibus posterorum imitatione celebretur. Hanc memoriæ vitam voco: vbi suum suique decus posteritas rependit: quod in quoque pulchrum non celebrando magis, quam imitando. Nec seria carmina poëtarum: nec honor æternus annalium verius: quam hæc impressa mentibus, expressa moribus beneuolentię prædicatio nominis diuturnitatem parit. Admiratio virtutis virtutem colit. Eadem prædicatione percrebrescit: æmulatione propagatur. Quippe necessitas magnum imbecillitatis humanæ patrocinium absolutam formam honestatis abiunctam à sensibus, ac tantum cogitatione depictam totam animo concoquere non potest: positam in exemplo potest. At enim cum omnes omnia fortibus debent: tum ij maximè debent, qui se totos

ad excolendum animum in sapientiæ tranquillum otium, ac Religionis tutum negotium abdiderunt. Quippe quibus vt securitatis suæ fructus constaret: virorum videlicet fortium trepidationibus exudandum fuit. Etenim neque sedata studia sapientum inermes litteræ defendunt: vbi bella circumtonant: neque piorum ciuium sanctitas in templis tuta versatur: si patriæ muros hostium aries verberauit. Cętera meditamenta pacis nihil securum tibi, nihil salutare tuis expediét: nisi præsto sint manu promptissimi Iuuenes: qui suis corporibus obiectis protegant meditantem. Instat hostis ad fines: militibus excurrendum est: castris educta pubes salutem, dignitatem, tranquillitatem tuam in manu gerens prælio cum hoste decernit: & communem caussam gladio perorat. Interea loci periculi tumultus ad te nihil pertinet: armatorum excubijs egregiè circumseptus ad sapientum exedras inter otiosos otiose de quiete disputas: & de bello, si Deo placet, oscitaris sedens. Enimuero fortium ciuium ille labor: ille sudor: ille puluis: ille, ille seuorum iuuenum san

guis,

guis, si verum fateri volumus, non hostis, sed tibi datur. Inde tuum in otio nimirum viget ingenium, magis fortasse bellatorum sudoribus, quam doctorum sermonibus irrigatum. Telorum ille volitantium fulgor aciem tuę mentis exacuit. Illo clangore tubarũ ora Rhetorum, plectra Poëtarum, voces disciplinarum sonant. Illo vecordi vociferantium militum conflictu nostra cordata socordia est. Illo, illo concurrentium impetu efferato placidæ, tacitęque sapientum litterę conquiescunt. Nisi fortè, quia nunquam infestis populationibus vastari Romanum agrum; equitumque, peditumque discursu nunquam latina pessumdari prata conquesti sumus: quia dirutis Romanis arcibus omnia collucere flãmis: omnia cæde misceri, publica, priuata, sacra, profana promiscuo flagitio, scelere, facinore, fœdari nunquam in publico, nunquam in priuato discrimine lamentati sumus: idcirco minus ad quietem domesticam literatorum pertinuisse dicimus commune beneficium peregrè laborantium bellicosorum. Nihil igitur diuina tua, vis Flamini moderatissime ciuis, idem-

que fortiſſime bellator nobis erepte, immaturo tuæ gloriæ tempore, reipublicę peracerbo, nihil ſalutares excubiæ virtutis tuæ, quam tacitè iamdudum, vtcumque deſcribit oratio mea: nihil iſta longinquæ militiæ laborioſa felicitas, & quacumque gradum faceres, albis quadrigis cum virtute circumuecta victoria contulit in commune pręſidium omnium, in priuatum otium, ac commodum ſingulorum? cum te Pio V. Pont. Max. ſingulari conſilio, acerrimoque ingenio præditum adoleſcentem: & ſi quidem per Vrbanas artes ſtudia pacis agitare voluiſſes, ad omnia ſumma natum, primum ad naualè certamen, quod M. Antonio Columna Pontificio Duce, cuius præſtantiſſimi Ducis memoriam, quoad litterę loquentur, nulla poſterorum obliterabit obliuio, feliciter certauimus ad Echinadas, abduxit à complexu Ciuium propinquorumque diuulſum? ex quo deinde certamine maximum omnis memoriæ triumphum nobiliſſimi Ducis in Romana mænia renouato maiorum exemplo per omnium ordinum acclamationes, atque plauſus inuectum, te nequaquam ignobilem in

turba

turba militem profequentem occurrentium gratulatio ciuium cum optatissimè recepisset, inque iucundissimo Patriæ gremio collocasset: hæc ipsa Romanę Virginis hostilibus exuuijs opulenta sedes: hæc perducta coloribus, auro perlita laquearia, Victoriæque manubijs cælatæ trabes fatis aperte, testantur ingentem ducem ingentis certaminis præmium clarissimum triũphum: te Tyronem primi stipendij pretium cum auctoramento virtutis infinitam auaritiam gloriæ reportasse. Ne tum quidem quicquam Reipublicę profuisti, cum eadem inuicta virtute iuuenẽ incredibili nominis cupiditate flagrantem; & vt arbitror ad immortalitatem ex recentis victoriæ sensu triumphalis Principis laudibus, quasi facibus incitatum in Belgium ad diuturnum illud, atque anceps Hispanorum, atque Batauorum commune discrimen abstraxit? Vbi Ioannis Austriaci Ductoris fortissimi, feliciſsimiq. primum auspicio; deinde ductu clarissimi Principis Alexandri Farnesij, qui veterum Imperatorum, & nomen adeptus, & gloriam assecutus maximam fortunam maiore virtute superauit:

cum ipse voluntarius primo miles, mox equitum nobilium alæ præfectus quatuordecim ipsos annos in illo turbine domestici tumultus, atque in illa seditiosissimę prouincię concussione posuisses: miles inuictissimos Duces habuisti semper ad prælium: quos ductor ad gloriam eras habiturus exemplum. Exinde cum te firmata iam ætate virum accurrentem ad publicum, incendium armorum Germaniæ, Pannonięque dissidijs excitatum, Othomannicisque victorijs latissimè diffusum, vltimis Italiæ viribus, an ruinis restinguendum? in mediam quasi flammam immisit formidolosissimi belli: nihil nimia ista tui sanguinis liberalitas reipublicæ largita est? Nihil, quod in omni genere bellorum per tot annos exercitatus obsidionalium, atque campestrium ad Germanorum fines, ad Italiæ limina Castrorum primo præfectus, Equitum deinde Magister, postremò totius Ductor exercitus, per id omne peregrinæ, ac sæpe repetitæ militiæ tempus in hostico, nôn in tuo Romæ caput defensione Germaniæ protexeris? nihil quod dignitatem Romani nominis amplificaueris? nihil quod

lati-

latinæ virtutis memoriam diutina bellorum desuetudine languescentem, apud exteras gentes quatuor, & triginta stipendiorum exercitatione renouaris? Cum vero proximis hisce, Pannonicis, Illyricis, Germanicisque motibus Romani Pontificis auctoritate munitus, & copiarum Italiæ fidissima beneuolentia septus Austriam, Istriam, Carintiam, Croatiam, Celticam, Daciam, Mœsiam, ad Canisium, ad Comarim, ad Iauarinium, ad Istrigonium fortiter defenderes: hostium præsidia deijceres: Italiam barbaris intercluderes: belli latissimè sparsi reliquias omnibus vestigijs indagares: munitissimas arces reciperes: opulentissimas Vrbes aut propugnatas viribus obtineres: aut expugnatas victoribus aperires: libertatem in oppida, religionem in templa reduceres: nihil in commune commodum afferebas? nihil agebas? cum hostium communium impetum non Italiæ solum, aut Germaniæ, sed totius Europæ, atque adeo terrarum orbis vniuersi ceruicibus imminentem continentibus tot annorum certaminibus, quantum in te fuit sæpissimè depuleris, retardaris, op-

presseris: nihil omnino reipublicæ cõtulisti? Ego vero Quirites non solum vestrum hunc fortissimum bellatorem nihil in commune contulisse non dico: sed etiam maximum omnium, ac fructuosissimum munus detulisse contendo. Quis enim adeo rerum omniũ hebes iudex est: quin infinitam Othomannici Tiranni cupiditatem, detestandamque imperandi libidinem intelligat? cuius inhumana crudelitas, ac facinorosissima cum inexpiabili totius humani generis odio coniuncta superstitio nefarium bellum gentibus omnibus indictum: at Christianæ Reipublicæ nominatim illatum, annum iam prope millesimum cum Romanorum Imperatore Christo Regum Rege continenter gerit. An ille, qui sibi totius orbis terrarum imperium dementissimè destinatum impudentissimè deposcit: auidissimè cõcupitum audacissima spe deuorauit: & magna iam ex parte funestissimè decocto, quod reliquum est scelestissimo conatu funditus exhaurire non dubitat: si, quod iam nimium diu feliciter molitur, maritima Græcię, Terrestria Germanię, Pannonięque claustra perrumperet: hęreret
in

in gradu ſcilicet ? impetum ſuſtineret? victorię temperaret ? admiſſam in omne facinus,ac pronam in exitium omnium libidinem cohiberet ? felicitatis ſuæ fręna repręhenderet ? Italiæ videlicet florentiſſimis oppidis parceret ? integrum adhuc non tam militum virtute, quam religione populorum , ac ſuperum excubijs Latium ,cuſtoditum vellet ? intactum relinqueret ? imbutum ſemel Illyricorum cruore mucronem Romanorum iugulis nollet impreſſum ? Has arces, hęc ſanctiſſima templa , gentium hoc commune perfugium, hanc Aram humanæ ſalutis , auguſtiſſimamque cortinam veritatis: hoc religionis,Pietatis,Sapientiæ,virtutum omnium multo præclariſſimum domicilium, Cæleſtiumque firmiſſimũ propugnaculum inuiolatum ſibi,ſacroſanctum ſuis,religioſum nobis eſſe pateretur ? An potius (quod omen in illius teterrimæ belluæ funeſtiſſimum caput auertat Deus) id, quod inſatiabiliter concupiuiſſet, facinoroſiſſimèque tentaſſet : non idem (ſi quo ſucceſſu ſibi recludat Italiam)ſuperſtitionis ſuæ fœdiſſimo cadaueri Germanorum excidijs, vaſtitatibus Romanorũ,

templorum incendijs, sacrorum cineribus, insepulta Romæ sepultura, deuoto denique bonorum omnium sanguine, atque internecione crudelissimè parentaret? Quamobrem si hæc auditu fœda, si perpessu aspera, intolerabilia, deprecanda, atque execranda sunt: profectò nullam parem gratiam oratione consequi, nullum cogitatione complecti possumus tam eximium ac tam singulare monumenti genus, quod non Flaminio fortissimo viro, Reique Christianorum publicæ cupidissimo debitum esse fateamur: qui ne quid tale pateremur aliquando, quoad vixit, terra, marique pro virili parte, contendit. Diuina verò sunt, præstantissima sunt Quirites: nec Romana magis, quàm humana dicenda sunt, hoc est cum totius hominum generis societate coniuncta: quæ bella pro gentium omnium salute contra gentium omnium parricidam: pro rerum omnium statu contra nefarium rerum omnium euersorem: pro sacrosancta Regij Sacerdotij dignitate contra scelestissimum carnificem Regum, Prędonemque Regnorum à Flaminio suscepta semper, & bellata sunt. Vbi cum

per-

perfidia fides, cum superstitione Religio, cum scelere Pietas, cum libidine continentia, cum auaritia liberalitas, cum temeritate constantia, bona spes cum omnium bonorum desperatione dimicat. Vbi denique Veritas, Sapientia, Iustitia, sanctitas, honestas, fortitudo, virtutes omnes cum vitijs omnibus, cum audacia, cum turpitudine, cum prauitate, cum iniquitate, cum dementia, cum vanitate disceptant. Ac, si nullis secundæ fortunæ blandimentis inuitatus, nullis patriæ delinitus illecebris: si suscepto magno aliquo rei familiaris, aut existimationis incommodo principum gratia, commendatione nobilitatis exutus: si nudus ab amicis: inops à propinquis: desertus ab omnibus Flaminius sic fuisset: vt quoniam suffragatione generis, & virtutis ad amplissimos honores eniti non posset more maiorum suorũ: nec in medio saltem populo concessis diuitum voluptatibus cum otij dignitate frueretur: animum inducere necessario debuerit ad exiguum tempus peregrinari procul: sub pellibus esse: terroribus bellorum vires corporis, animique deterere: ærumnosam æta-

tem aſpero vitæ cultu duriter exigere ſub armis: de corpore, de capite quotidie dimicare: quo ſuo periculo ſuis ciuibus optata pax, ac tranquilla libertas cum honeſtate contingeret: nunquid eſſet cauſſæ, cur pro breuiſſimo compendio laborum tantorum apud gratiſſimos ciues, omnia, quæ numerantur ampliſſima, tàm magnificę deſpicientiæ ciuilium commodorum exſtare monumenta nollemus? Nunc vero cum magnis fortunæ præmijs refertiſſimus, naturæ maioribus præſidijs ſubornatus & potentium amicitijs maximè floreret: & pleramque nobilitatem omnium nominum, quæ coniunctiſſima putantur, cognationum, affinitatum, amicitiarum caritate ſic amplexus eſſet: vt in perampla re domeſtica, in clariſſima Romæ luce verſari: premere veſtigia maiorum: in antiqua poſſeſſione bene collocatæ laudis, hærere cum dignitate poſſet: merita profectò, ſicut decet, haut æſtimet, qui conſeruandæ reipublicæ ſtudioſiſſimũ hunc virum immortalibus honoribus afficiendum neget: cuius omne curriculum ætatis, ac virtutis elaboratum, eſt in ærumnoſiſſima defenſione publi-

cæ

cæ quietis : in trepidationibus bellorum : in certaminum discriminibus: in peregrinationibus longinquis:in asperitate vitæ . Vos , vos appello Quirites, vos laboriosissimi bellatoris huius affines , cognatique clarissimi , Vos Delphinij , qui Flaminio dedistis paternum genus. Vos Micinelli, qui maternum . Vos Rodulphi, qui peruetustam Delphiniorum nobilitatem cum antiquissimo vestri generis splendore geminastis: cum Flaminium vobis generum,& Delphiniorum necessitudinē optauistis:Vos Lancellotti:Vos Celsi: Vos Alterij: Vos Victorij ; Vos Maximi claritudine generis,nominis amplitudine, celebritate famæ,virtutis existimatione summam apud Ciues, summam apud Principes gratiam consecuti : quorum in singulis familijs singulæ Flaminij sorores lectissimæ fœminæ honestissimum in Matrimonium collocatæ satis magna videbantur inuitamenta naturæ, quò iucundissima vestrum consuetudine Flaminius vobis luce carior nullo puncto temporis careret : nisi virtutis hortamenta maiora fuissent : omni propemodum spatio temporis , vt careret . Nam quæ vis,

alia, quæso vos nisi publicæ rei tuendæ studium incredibile Flaminium inflammauerit: vt desperatis, vel non expectatis potius, & neglectis, certè non magnopere concupitis hominum vrbanorum suauitatibus, emolumentis, ornamentisque pacis animum ad tumultus, ad cędes, ad arma conuerteret? offensiones erant domesticæ? at vobiscum coniunctissimè viuebat. Æqualium ciuium obtrectationes? at in oculis ferebatur, in omnium animis habitabat. Rei familiaris angustiæ? at abundabat. Patrimonium, quamuis amplis sororum nuptialibus, ac sponsalibus instrumentis, tamque multis dotalibus decessionibus imminutum: diligentia tamen, & frugalitate Marij Delphinij Patris honestissimi viri egregie constitutum in soli rebus, ac fundi: collocupletatum vectigalibus prędiorum: stabilitum in pascuis, atque cultis: in pecuniæ nominibus, ac Syngraphis collocatum: in optima fide compositum socialium rationum ad lautitiarum elegantiam, & si voluisset, ad luxum, atque ad vrbanæ vitæ splédorem, certissimum, ac fructuosissimũ erat. An iuuenilis eum ardor impulerit,

rit, & quædam exultantis audaciæ inconſiderata temeritas? quid illius quæſo conſilio grauitate, morumque temperatione conſtantius, & moderatius fuit? an intractabilis animus, atque horrida quędam vis, immanis, agreſtiſque naturæ? nihil illius ingenio commodius: nihil facilitate tractabilius: nihil ea lenitate iucundius, aut elegantius habebatur. Fortaſſe libido fuit cædis, ac ſanguinis. Humaniſſimus erat. Fortaſſe prædę cupiditas, & rapinæ fuit. Immo de tot victorijs præter honeſtas vulnerum cicatrices domum reportauit nihil. Contra vero quid iucunditatis habeat natale ſolum Quirites: quid Romani cæli ſpiritus animalis: quid auguſtiſſima ſpecies huius Vrbis: in qua cum optimo cuique non Ciuium ſolum, ſed etiam externo[illegible] [illegible] omnibus eius ordinis hominibus [illegible]s ad omnem laudem, vitæque honeſtatem patuit ſemper ampliſſimus: quid veſtra grauitas, atque conſtantia: quid incredibilis humanitas: quid dignitas, & elegantia grauiſſimæ diſciplinæ: quid Chtiſtianæ rei ſplendor, amplitudoque ſacrorum: quid Pietas, Religio, Sanctitas, quæ

apud

apud alios diuersorium, apud vos domicilium collocauit: quid vniuerso terrarum orbi religiosissima limina templorum: quid ædium sacrarum elegantissimæ descriptiones, sumtuosissimæque moles: quid vetustissima, atque ipsis propemodum exordijs nascentis Ecclesiæ, augustissimorum æqualia propylæa tectorum: quid intimæ Cælestium sedes, aditusque penetrales: quid arcanus sanctissimi Numinis afflatus, ac tacitus ille beatorum sensus animorum, quem è vestibulis templorum: quem è penetralibus sacrarum ædium: quem è sanctorum tumulis, ac cauernis: quem ex ipsius vrbis venis, vt ita dicam, ac prope visceribus haurimus: diuorum quà memoria consecratæ: quà sepulchris auctæ: qua sanguine respersæ: qua cineribus animatæ. Vno verbo Roma magistra gentium, Parens, & sacrariũ virtutum, quid dignitatis, & iucunditatis habeat, ne videar auribus seruire, non dico: tantum id affirmo: nisi ferreus plane sit: nisi penitus omnem sensum humanitatis amiserit: maiore, quam vsitata, atque humana virtute corroboratum animum habeat necesse

est: quem tot, tantarumque rerum vsura tam casta, tam suauis, tam fructuosa, tam facilis, tamque expedita non tangat. Equidem mihi Flaminij vocem audire videor præ Reipublicę dignitate iucunda Patriæ commoda pro nihilo ducentis: ac fortiter in castra properantis. Sibi voluptates, & opes: sibi honores, ac magistratus habeant Ciues mei: sint, vt par est optimos esse, beatissimi, sint florentes. In sanctissimo carissimæ patriæ complexu, in placidissimo pacis otio consenescant. Equidem ex vberrimis liberalissimæ Patriæ promissis solam mihi iustissimę libertatis, & tranquillitatis eius laboriosam defensionem deposco. Abibo: peregrè militabo: mecum ex amplissimis eius bonis militare viaticum, & castrense stipendium imaginem optimæ Parentis efferam animo insculptã meo: tum labores, sudores, ærumnas, studio salutis eius, ac nominis exanthlandos. Ex auito patrimonio memoriam auorum: è victrice quondam gentium, ac Regnatrice terrarum Vrbe, priscæ virtutis ęmulationem piam: è Magistra cælestis sapientiæ ciuitate, causam pulcherrimæ veritatis: è nationum

tionum omnium sanctissima Parente, fortem, ac constantem pietatem efferam. Ister, & Albis, & Rhenus iam mihi nomina pulchra sunt. Fluat alueo suo Tyberis meus superis gratissimus amnis, nullis meorum Ciuium cadaueribus inquinatus. Stet Capitolium fulgens: imperet nationibus pietate latius, quam olim armis, æterna Veritatis sede fundatum Vaticani Sacerdotij culmen. Mihi, si pius esse velim, si fortis, si verè Romanus, quãuis ærumnosa, voluptati decorique sit iusta tantarum rerum, ac longinqua defensio. Est mihi tanti vortices Danubij vel meo sanguine decolores: & interfectorum cruore tabentes niues: & astrictas ęterno Borealis verticis rigore glacies pugnantium anhelitu, sudore cædentium, cæsorum tabo, ac sanie resolutas cum temperatione mitissimi cœli, cum amænitate Latij, cum aspectu pulcherrimæ Vrbis, cum optimorum Ciuium vrbanitate mutare. Illa me communis exitij pestis è Thracijs egressa gurgustijs vocat. Illam, illam ad Illyricos fines proximè sonantem, ac manantem quotidie latius: illam omnia funestissimè depascentem,

& lu-

& luctuosissima conflagratione Regnorum, humana, diuina pariter inuoluentem flammam, antequam ex illis angustijs huc erumpat, quoad vnius animæ profusio valebit, nisi viribus opprimam, cadauere retardabo. Me viuo, si se reipublicæ moderatores audient: si se Cæsares, Reges, Pontifices excitabunt: hostes diffident sibi: nec vnquã ad hanc sanctitatis arcem dementissimæ superstitionis aspirabit furor. Vt hæc nostra salua sint: illic apud exteros sudandum est. Hæc intima terrarum præsidia nequaquam obtinebimus: nisi nobis illa Pannonum, illa Celtarum extima limina siue viuis, siue mortuis obtinentur. E Germaniæ propugnaculis: ex aggeribus Pannoniæ Capitolium ac Vaticanum, diuinissima mihi nomina, nisi victoria, certe sanguine tutabor. O mihi præclaram mortem, quæ naturę necessitati, totque rerum humanarum casibus imminentibus, ac repentinis debita, gentiũ omnium parenti potissimum, & Veritati soluitur. Hic sensus: hoc institutum: hęc Flaminij vita fuit à suis abesse longè, quò prodesset omnibus: oculorum desiderium animi pietate,

glorię

glorię cupidinem laborum tolerantia lenire: patrię, cuius aspectum oculi concupiscerent, dignitatem tueri manu. Verum hæc quamuis præclara, quia remota quorundam animos admiratione non tangunt, propiora fortasse tangunt: externa mittantur, ad nostra veniamus. Cedo quid tantum oportunitatis percipi potest è naualibus, maritimisque rebus; quod in Flaminio Pontificiæ classis præfecto, militarium rerum terrestrium, atque naualium prudentissimo, iure desideretur? Ille quidem, quod se non idem operæpretium facere maritimis periculis intelligeret, quod terrestribus certaminibus fecisset: vt erat facetissimus iocis irridere solebat præfecturam suam: cum sè modo salsum ex insulso prætorem esse factum: modo fortunatissimum esse se, cui ne si velit quidẽ, deesse possit rudentibus apta fortuna: modo terrenum se non Tyrrenum Delphinum diceret: cum tamen Tyrreni maris Romana littora tanto consilio, ac vigilantia tutaretur: ea celeritate præteruehi, quocunque piratarum suspicio vocasset, ea contentione remorum, atque ventorum aduolare, cre-

crederetur: vt nullum prædatorium nauigium ad Tarracinensium, & Antiatum fines: nullum ad Falerias, & Pontinas: nullum ad Veliternas, & Tyberinas: nullum ad Portuenses, & Veientanas oras appulsum audierimus aliquando, quin confestim Flaminij virtute repulsum, depressumue sit. Itaque per totum id Flaminianæ Præfecturæ tempus, fida custodia citissimæ classis oportunis locis vndique defensis: & Populi Romani maritimis illis horreis egregiè munitis: tutus ab infestis prædonum exscensionibus apertis & clandestinis, nullum in frugibus, nullum in pecore, nullum in hominibus detrimentum Anagninus, Vsentinus, Coriolanus, Ostiensis, Veientanus ager accepit. Age quantum & illud publicum beneficium est? quam ipso genere magnum? quam numero variũ? quam specie præclarum? quam commemoratione iucundum? quam experientia formidolosum? cum enim Innocentio Nono, Gregorio XIV. Sixto V. Pontificibus maximis, quos honestissimè nominatos volo, tam proiecta, atque audax vbique gladiorum licentia grassaretur: vt infesta sica-

riorum impunitate nihil neque cultú, neque frugiferum in agris: nihil in horreis congestum: nihil in oppidis munitum: nihil expositum in Emporijs: nihil in Portorijs sepositum: nihil pudicum in gynecæis: nihil sanctum in templis, aut arcanum esse pateretur: cumque, qui tam multis, tamque latè peruagatis mederetur incommodis, haud sane facilè quemquam optimi parentes, sapientissimique Pontifices reperirent: Vnus, vnus Flaminius inuentus, ac delectus est: cuius integerrimæ fidei, diligentiæ, constantiæ, celeritati, tantum munus impositum, ac demandatum potissimum vellent. Itaque cum imperio, ac potestate Flaminius in prouinciam primo quoque tempore profectus quantum Pontificiæ ditionis à supero protenditur ad inferum mare, cum expedita manu iuuenum impigerrimorum incredibili celeritate peragrauit. Peragrauit autem? immo custodiuit. Custodiuit dico? immo seruauit. Tres illas per omnem Italiæ longitudinem, latitudinemque constratas, atque illustres vias, ante vltro, citroque commeantium frequentia nobiles, tunc latronum

tronum cædibus infames: à supero mari Flaminiam, Aureliam ab infero, Mediam Cassiam, passim nequaquam leuibus pugnis cum sicariorum agmine commissis, infesto latrocinio liberauit, Foroliuiensibus, Rauennatibus, Ariminensibus oppressa grassatorum manu non modo præsens periculum cladis, sed etiam futuræ suspicionis omnem ademit metum. Picenum agrũ, vnum ex omnibus maximè frugiferum & quæstuosum, creberrimisque oppidis, ac vicis notatum, atque distinctũ, quem non ex insidijs pannosi pauci furunculi: sed luce palàm innumerabilium exulum factiosi principes populabundi percurrerent, diuexarent, diriperent, inflammarent: hostibus, ac perduellibus ad vnum occidione occisis, aut expulsis, incolumem aratoribus ad sementem, immunem ciuibus ad messem, reddidit. continuo Camertes, Perusinos, Asisinates, Spoletinos, Tudertes, Nucerinos, Narnienses, Interamnates, Hortinos, Ocriculanos, Amerinos, Faliscos, Veientanos circumlato victoriæ terrore lustrauit. Reatinis, ac Nursinis præsto fuit. Sabinos, & Nomentanos, & Rosios à

præ-

prædis, à flammis, à cæde defendit. Crustuminis, Æquicolis, Ceninensibus, Tiburtinis, Lauicanis, Hernicis, Volscis, Priuernatibus, Vestinis agros à populationibus, à direptionibus oppida conseruauit. Obtruncatis latronum ducibus, aut eiectis; agmine concisò, & dissipato, campis fertilitatem frugum, oppidis vilitatem annonæ, Romæ securitatem Ciuium, tranquillitatemque restituit. Proh Deum immortalem tam singularem tantæ virtutis felicitatem, tam incredibilem animi magnitudinem, tantam diligentiæ celeritatem, adeo omnium commodis expositam, paratam, oportunam integritatem, ac fidem: non insatiabiliter amplexaretur in viuo: non exquisitis honoribus in mortuo Roma decoraret? Maxima quidem hæc, & maximarum beneficia sunt virtutum Quirites: quæ tacitis vniuscuiusque vestrum inclusa pectoribus: & passim omnium Ciuium, externorumque iam peruulgata sermonibus, nullam ad notitiam vestram, nullam ad opinionem ceterorum, nullam ad memriæ famã, expectare videntur commendationem orationis meæ. Atqui, cum hæc ipsi,

que

quæ Flaminius pro Romani nominis dignitate sapienter, fortiter, feliciterq́. gessit armatus: commemoranda maximè iudico: tum illa, quæ tacitus in fructu certaminum suorum, hoc est, in patriæ quiete gessit tradenda posteris, proponenda iuuenibus ad exemplum puto. Scitè Poëtarum princeps in Achillis clypeo argumenta certaminum, emolumenta pacis, Religionis ornamenta cælasse visus est, artificio, quo solet ignobilium Deorum: sic tamen vt planè quid in ductore militum requirat, intelligam. Nefas quippe putabat militarem Ducem valere corporis viribus, animi virtutibus non valere. Quem Philosophorum Homerus imitatus Plato palæstræ certamina concentu Musicæ temperabat. Hoc est, ad militaris disciplinę ferociam à morum mansuetudine temperantiam adiungebat. Barbarum est, semper sitire sanguinem. Inhumanum oculos cædibus pascere. Bellum discordantium hominum feritas, pacem naturæ suasit humanitas. Igitur in acerrimo hoc bellatore multæ erant, vt in homine semper armato litteræ: multi sales: multæ suauitates. Recordari potestis in-

genium illius acre, ſed in loco: vehemens: ſed compoſitum: docile, come, ſedatum, iucundum, horarum omnium. Nec ea tantum militiæ decora putabat; Equum flectere: tela ſpargere: caſtris habendis optare campum: locorum diſtantiam oculorum dimenſione finire: vallum iacere ſcienter: ad certum ictum deſtinato librare tormenta: oportunè vineas agere: pubem in aciem educere: inſtructa iam acie ſub ſignis habere paratum militem: ordines diſtributo committere: cæſim, punctim ferire: gladijs cominus, eminus iaculis rem gerere: producere, collatare, procurrere, ſubſiſtere, circuire, reſiſtere, inſtare, diſſimulare, mutare in cornu pugnam: demum laceſſere, fundere, vincere: nòn hæc inquã tantum decora militi putabat: ſed illa multo magis, ex quibus videlicet, tãquam ex vberibus ſeminibus hæc ipſa militaris virtutis inſignia in Flaminio felicius extiterunt. Quantum enim vacui temporis à belli neceſſitatibus ſuperaret: id non in alea, non in vino, non in circulis effluere temerè ſinebat: ad animi cultum, ad ſtudium pietatis, ad conſiliorum arcana reuocabat.

cabat. Hic secum in litteris esse: repetere memoriam temporum: nobilissimorum ducum exemplis instruere pectus; quod animorum, iræque tacitæ plenum, omnem exinde ferociam in discrimina præliorum differre posset: fortissimum in acie futurum ratus, qui esset ante aciem modestissimus. Viros militiæ natos; quales esse Romanos decet, factis magnos ad certamina verborum rudes vires corporis ad animi virtutem, animi vires ad contentionem corporis euocare. Nec primis dũtaxat labris, vt fermè fit, prima litterarũ elementa gustauerat: sed omnibus imbutus artibus, qbus tenera nobilium ætas ad omnem honestatem informari solet: quę facile percepisset adolescens, iucundissimè recolebat senex. Quicquid à Mathematicis oportunè caderet in rem suam, habebat in numeratò: satis gnarus plus Archimedis artificium profuisse, quam M. Marcelli victoriam obfuisse Syracusis. Phocionem, & Themistoclem legerat: Miltiadem, & Epaminondam acceperat: Pyrrum, Alexandrum, Agesilaum, Philopæmenẽ norat à Mathematicorum radio, atque puluere pro-

fectos in castra magnam sibi gloriam rei militaris scientia comparauisse. Iam è Physicis, è Poetarum carminibus, è laudationibus Rethorum, ex Historię monumentis quicquid hausisset, (quid autem ille non hauserat?) vsurpabat in loco. Quæ temperandis moribus Ethice pręcepta tradit: quod moderandis ciuitatibus frugiferum in Politicis esse didicisset: id consilijs destinatum, temporibus diuisum, moribus expresium in vtriusque fortunæ tempus, in vitę consuetudinem, vsumque referebat. Parabili cibatu, quem fortuito miles occupasset, constare militiam dicebat: nec audebat vituperarę Grammaticos, qui Maronis Aeneam reprehenderent: quod is militaribus epulis in deserto littore præter assam ferinam, obsonasset aliter famem & aqua feruenti subacta quędam alia condimenta quęsisset. Quod in eo genere sequeretur, acceperat ex Homero puer. Igitur adolescentulus antę Naupactæam victoriam nisi iussus à Parentibus ad cibarium panem, nihil addebat. Prælusionem militiæ cogitabat: & Castrensem disciplinam asperi victus illa quasi velitatione iam

tum

tũm informabat domi. Quo facto duplex interim operæ pretium habebat: nam & vim mentis ad pudicam animi firmitatem illa ſiccitate corporis: & iuuentam ad duritiæ militaris experientiam obdurabat. Qualem autem in ſomno probum militem vellet expreſſerat apud eumdem poetam ex Diomede duodecim annorum puer. Quoties illum intempeſtę ſilentio noctis id ætatulę puerum clam parentibus è Lectulo delapſum, humi ſtrato tapete cubantem, galea pro puluillo ſubiecta ceruici, ſerò tandem inuitus occupabat ſopor? Quoties Propertia mater honeſtiſſima fœmina filium ſic repertum pro imperio redire cogebat ad culcitram? cui tamen acrior fuit glorię morſus, quam imperij materni metus. Igitur idem pueritiæ inſtitutum illi manſit in omni vita. Somni modicus, glorię nimius ad multam noctem vigilabat: in lucubrationibus, in commentationibus erat; operi diurno conſilia noctis addebat. Fugam ſolis ingenij lumine, ſomni tempora vigiliarũ prorogatione carpebat, quatuor ad ſummum horarum, eaque leuiſſima quiete contentus. Credo di-

ctum illi M. Catonis sapientis hæserat: quod etiam video placuisse grauissimis Christianæ disciplinę viris: negantis eum in virum magnum euasurum, ac reipublicę salutarem: qui cogitationes animi somniculoso silentio sepultas, ac languore perpetuæ noctis obrutas nunquam ante diluculum excitaret. Itaque semisomnos illos, ac semiuiuos appellabat, quibus solenis mos esset ex æquo distribuere vitæ alteram partem diurno labori, quieti nocturnę alteram. Iam in sermone diligentia quædam erat indiligens: facilis explicatio: sedata, liberalis, integra, Rethorum incorrupta delicijs: suo quodam, ac natiuo lepore dulcis: nulla tumens volubilitate numerorũ: non exquisitis adstricta verbis: pondere sententiarum grauis: horridior cum venustate: non suis vana laudibus, non crimine alieno læta: non in ancipitem intellectum, ambiguis suspensa sententijs: qui nihil præter turpitudinem timeret: aut cuperet, præter honestatem cur simularet, aut dissimularet, caussæ nihil erat. Militarem animum oratio militariter animosa decebat: qualem in Principe laudabat Socrates:

in

in Cyro descripsit Xenophon. Aequitatis idem, si quis alius, & veritatis apprimè tenax. Argumentum id esse magnæ mentis, & heroicæ libertatis indicium docuit Aristoteles. Seruilis ingenij mendacium in obnoxijs animis oriri facillimè: corruptum libidinibus animum, & admiratione deprauatum inanium rerum extra rationis imperium, vagum primo deserturam veritatem sententiarum deinde consiliorum constantiam, tum integritatem morum, postremò dictorum fidem. Religionem autem in Deum singularem, pietatem in suos, comitatem in Ciues, humanitatem in hospites, liberalitatem in egenos, clementiam in supplices, mansuetudinem, facilitatem, lenitatem in omnes, in promissis constantiam, in rebus contractis fidē, in contrahendis diligentiam adhibebat tantam; quantam in Milite non requireres: in Duce vix inuenires: in sapiente suspiceres. Iam verò si Flaminij quoque formam oris posteris nosse curæ erit; statu sublimis, ac rectus haud supra communem magnitudinis modum ad auctoritatem imperij compositus, & apta descriptione mē-

brorum, & firmitate laterum scit ssimè compactus, ac strenuè cohærens sibi præstantiam animi figura corporis exprimebat. Quippè robusti corporis honesta species, ac liberalis incessus vultu, gestu, cæteroque figuræ ductu leuitatem omnem à se reiecerat muliebris elegantiæ latissimo thorace, pectus animæ magnæ plenissimum. Elata ceruix, humerorum tractus æqualis, consentientesque lacertorum thori, spectabilem viri dignitatem venerationi dabant. Item oris iucundus color subrutilo sanguinis flore suffusus. Oblonga facies, nec exhausta. Lata frons, & explicata: supercilijs leuiter ductis, ac penicillo quasi descriptis. Oculorum grandes orbes, perspicuè subnigri, penè subcæsij: lętum lumen: coniectus acer: in tranquillo festiuus: si quando seueritatis aciem exeruisset, terrore formidabilis, plurimum lenitatem, clementiam, beneuolentiam promittebat. Cæterum ornatus haud abhorrens à populari. Capillus strictim, ac per pectinem æqualiter attonsus, productiore barba, vberi crine, colore subfusco. Prorsus vt ex habitu, cultuque corporis, qui tacitus

citus est index animorum sedatum, virum facile crederes; fortem facilius diceres. Adeò dignitas oris famam virtutis impleuerat. Idem deuinciendis animis suprà quam credi potest, naturæ quodam artificio factus, ingenij liberalitate, comitate sermonis vltrò studijs accedentium oportunus. Vidisses: amasses: audisses: blandè suadentem optimè sentire dixisses. Quos verò semel ad eius notitiam natura, virtuti quodammodo lenocinata pertraxerat: eosdem in amicitiæ fide, virtus naturæ sublandita retinebat. Nunquam ille familiaritates forêsibus officijs copulatas domestica morum consuetudine diremit. Exterior ad eius gratiam aditus iucundior: interior grauior habebatur. Contra quam in Alcibiadis ludo legimus, illi fides non vestibulum augustius, quam conclaue sacrauerat. Intima sententiarum, arcana morum opinioni consentiebant: constantiæ, fidei, veritatis erant. Itaque nulli familiarium reconciliatus est: neminem ex amicis læsit vnquam: læsus omnem statim offensæ memoriam obliuione contriuit. Ac nequando gratia recolligenda foret,

cautum illi, prouisumque erat. Ducebatur ratio dignitatum: temporum discrimina notabantur: honor auribus: honor oculis habebatur: quod offensiones amicorum vitari facilius diceret, quam sanari. Quo fiebat, vt ex ijs, quos delegisset à se neminē dimitteret: & in amicitia, quod prouerbio fertur, calculum reduceret nunquam. Et ille quidem optimos sibi semper adiungere studebat: si quem autem parum idoneum reperisset: eum paulatim vsu familiaritatis ad suum sensum, hoc est, ad exemplum bonorū formabat sibi. Tanta vero fuit erga propinquos indulgentiæ caritate: tanta suauitate morum: vt cum omnibus æque carus, ac iucundus esset: omniumque ipse consuetudine iucundissimè frueretur: mirum videri debeat illum eorum conuictu, quo tantopere delectaretur, tamdiu carere potuisse. Nimirum domesticum desiderium patrię caritate vicerat: non ignarus incolumitate reipublicæ necessitudinum omniū priuata nomina contineri. Ex illustri verò nobilitate factionum principes adolescens ante Naupacti discrimen coluit nobilissimos, obseruauit maxi-

mè

mè bellicoſos. Nec,vt adſolet,temere cum paucis ſeductus in partes: ſed vnus æquè diuiſus in omnes conſideratè ſingulis libera ſalutationum,ac deductionum tempora deferebat, ſic, rerum,vt militarium vſum ex ijs ipſe repoſceret. Ita cum vnicuique diligentiam redderet, innocentiam ex omnibus vindicabat,ac ſe reſeruabat ſibi:ſacrorum quoque præſulum obſeruantiæ deditus vrbana togatæ ſeruitutis officia non indiligenter, & moderatione quadam obibat: magis adeò non vt omitteret: quam vt anxiè non omiſiſſe videretur: cum & meliorum reuerentiam nullis adulationibus contaminaret: & ad potentiorum limina,quod difficillimum eſt, obſequentem veritatem adduceret; nec exueret libertatē. Nihil illi quæſtuoſum:nihil præter honeſtatem admirandum. Nec ambitio falſum illum fieri ſubegit: magiſque vultum, vt ille ait, quam animum bonum habere. Satis illi magnum meritum ſtipendium erat: ſi cum principibus diligentem operam dependiſſet:ipſe fidem in conſcientiam reciperet à ſe nullam officij partem fuiſſe præteritam. Auream illam veſtri Demoſthe-

nis vocē animo combiberat: conſcientiam virtuti ſatis amplum Theatrum eſſe: gratuitamque probitatem omni mercede potiorem. Sunt, qui militaribus ingenijs ferociæ plurimum, moderationis minimum ineſſe credant. Opinioni plerumque non incredibili locum gregalium militum intemperās conſuetudo dedit In Flaminio diſcreta iudicijs, conſulta ſententijs, finita temporibus hæc erant. In conflictu ferociam, in victoria modeſtiam vſurpabat: in cognoſcendo diligentiam: in deliberando conſilium: conſtantiam in agendo. Vultus in aduerſis rebus idem, non ſecus atque in ſecundis. Eadem conſuetudo rerum: animi tenor idem; ac perpetuus ordo vitæ. Curarū tantummodo vices, remiſſionumque diuiſæ. Militum conuenientibus, & litibus æſtimandis grauitatem, intentionem, ſeueritatem, ſæpius miſericordiā commodabat. Vt officio ſatisfeciſſet, poſita poteſtatis perſona comitatem, modeſtiam, facilitatemque repetebat. Hæc indita naturæ bona: ſuperiora neceſſitas temporum circumdederat. Nec illi, quod vſu rariſſimum, aut auctoritatem clemētia diminuit: aut clemen-

men-

mentiam decerpſit auctoritas. Pecuniā, quam nemo ſapiens concupiuerit, ambiguum, an aſpernaretur faſtidioſius: an magnificentius erogaret. Iam fidem maritalis thori nunquam temeratam: certos è caſto coniugio liberos: animum pudoris cuſtodia ſeptum: arctè contentam, conſtrictamque licentiam voluptatum: ſenſus denique libidinū nūcios libere vagari nunquam permiſſum referre: alijs in medio vulgaris honeſtatis officio magnum: in tanto viro cæterarum fuerit iniuria virtutū. Vtinam, quàm ille cæteras animi labes, tam iracundiam habuiſſet in poteſtate: virum omnibus laudibus cumulatiſſimum haberemus. Eius tamen improuiſum impetum non inexorabilis placabilitas molliebat. Et quoniam ſubito erumpentem anteuenire conſilio non poterat: quàm citiſſima pœnitentia reuocatum intra præſcriptum redire cogebat. Ignoſcendum & hunc dices, ſi cogitaueris hunc ipſum multis, atque præſtantibus viris communē cum Flaminio fuiſſe: nobiliſſimosq. Philoſophos, inque ijs Ariſtotelem Philoſophorum facilè principem in heroicis laudibus iracundiam inter vir-

tutis

tutis inſtrumenta numerantem. Scio non nullis Flaminij ſuauiſſimum ingenium attentius conſiderantibus mirum videri: qui fieri potuerit, vt tantus in eo, tamque pertinax impetus gloriæ militaris exarſerit: hoc præſertim ſtatu rerum, quo Roma Chriſti virtute felix, & diuturno ſilentio bellorum deſueta maiorum triumphis ſe ſe per tot annos in Italiæ tranquillitate compoſuit. Quid niſi quoniam huc eum temporum diſciplina non impulit, natura deduxit? Enim vero quod in Dorienſes à Polycrate iocosè dictũ accepimus: idem in Romanos homines non abſurdè conferri poteſt, vt enim Dorios, à quibus canendi Doricum artificium, & repertum, & nominatum eſt: Polycrates dicere ſolebat: omnes quidẽ naſci muſicos: niſi quid eorum obſtrepat auribus, vt naturæ vocem, ac ſe potiſſimum ipſi exaudire non poſſint: itidem Romanum propagatione generis bonum militiæ gigni dicimus, niſi ſuapte ſpontè ſic futurus alienis protinus artibus occupetur: vt naturæ diſciplina reclamet. Vel quod is eſt Latini Cæli tractus, & plaga mundi; ea Romæ poſitio, atque

ſedes : cæteraque naturalium neceſſi-
tudo cauſſarum, vnde genitalis duci-
tur origo vitæ : vt vitalem ex ijs ſpi-
ritum haurientibus, illiuſcemodi vim
ſanguinis, ac pabulum animale ſortitis
indita ſimul ſemina præſtantis animi
flammam laudis auidè corripiant, fa-
cillimèque excitentur ad æmulationē
operum, & ad ſpeciem glorioſi labo-
ris : vel quod ab incunabilis Vrbis ſa-
tus, atque ortus gentis ex parte Mar-
tius eſt paternus : ex parte durum à
ſtirpe Lacedemoniorum, ac Sabinorū
maternum genus, ijs connubijs Alba-
norum ſanguini permixtum proditur:
quibus ſponſalia rapinæ dederint: nu-
ptialia tumultus: generos iniuria: vin-
dicta ſoceros : procreationem arma:
victoriæ fœdus ; æternitatem ex ijſdē
initijs continens diuturna cum ſtrage
regnorum vſurpata felicitas. Huc ad-
cedit temporum teſtis, & nuncia vetu-
ſtatis hiſtoria Romanorum ad multo
maximam partem memoriç conſulens.
tum carmina nobilium Poetarum de
Quirini populi triumphis decantata
vulgò. tum cætera litterarum immor-
talia monumenta maiorum veſtrorum
inſcripta victorijs. Hoc quoque pri-
ſtinæ

ftinæ gloriæ bustum: hic vetustatis nõ dum euanescentis aspectus: hæc in-disiectis male sibi superstitis antiquæ famæ reliquijs sepulcralis imago magnis veterum nominibus, ac trophœis insignita passim nonnullum ad imitationẽ generis in magnis ingenijs momentum habet. Nec sanè parum esse dixerim, quicquid illud demum est, quod è parietinis hisce prioris Vrbis intermortuæ cicatricibus, atque ex hoc semisepulto Romæ cadauere generosum quiddam, & quasi bellicum spirat. Quamuis enim in alto puluere victoriarum illa latè resonans flamma consederit: victorum tamen memoria suorum funere triumphorum contecta, nec dum extincta, si paululũ agitetur, intermicat; ac quodam quasi vapore fugientis gloriæ recalescit cinis. Vt quo te cunque conuerteris. ex hisce monumentis præclara rerum memorabilium oculis obiecta species, obuersetur animis: quæ te quotidie maiorum tuorum propemodum vocibus appellet: ac velut ardentibus tædis,& dormientem excitet, nec patiatur consistere vigilantem. Hæc omnibus vulgo proposita tantam in quo-

que

que vim habent ad studium armorum: quantum is à cæteris curis vacuus impetum naturæ sequi potest: vt posterorum consilium maiorum ingenio ne repugnet. Flaminium quidem vt demonstrauimus, integrum adhuc adolescentulum, nullisque rerum alienarũ occupationibus impeditum, eundemque magnis corporis, maioribus animi viribus præditum, & quod caput est, domui pudice semper à Parẽtibus eductum ac liberaliter habitum: vel ex ipso litterario ludo pugnas, & castra meditantem; ea, præter hæc incitamẽta priscæ virtutis, excepit ætas: quæ memoriæ nostræ proxima Gallorum Hispanorumque certamina super imperio consequuta non paucis tum abundabat virorum fortium vel opibus vel exemplis. Hærebant in oculis illa præclara Romani nominis lumina, quæ ne nunc quidem post occasum illustrare posteros desierunt: M. Antonius Columna, Octauius Pater, Alexãder filius Farnesij: Paulus Vrsinus, Sforzia sanctæ Floræ fortissimi Principes, antiquitate generis, rerum gestarum fama veterum cuilibet comparãdi. Veris vbique sermonibus virtuti consentiens

ties fama celebrabat Sabellios, Cæsios, Vitellios, Cæsarinos, omni bellica gloria præstantes. Ipse Ciuium illustriũ, vt quisque fortissimus habebatur, consuetudinem appetebat maximè. Comites obseruabat: colebat Maximos: Cincijs amicissimus erat: Capisucchis familiarissimis vtebatur. Neque despiciebantur externi. Laudabat Strozios: Corneas mirabatur: Vicecomites norat: Aragonios non ignorabat: Balleoneos, Aurias, Piccininos, Culleones, Guisios, Consaluos Copiarum duces ætate superiores, ipse suppar audierat Italiæ recentissimis, quà factionibus, quà cladibus inclytos magnum ad posteros nomen sibi quæsiuisse, belligerando. Horum Flaminius tot, tantorumque ducum, & ciuium nunc inflammatus exemplis, nunc adhortationibus excitatus, & naturæ ductum, & patriæ vocem haud grauatè secutus est, & auspicium virtutis, & omen ætatis. Et illi quidem bellandi studium natura, Ciuitas exemplum, disciplina virtutem dedit; materiam audacia, perditorum: oportunitatem religio, felicitatem Deus. Militiæ delectus est ætate militari non dum annum duode-

uige-

uigesimum ingressus: ipso primum inuito parente Mario Delphinio frugalissimo viro: tum vix consentiente: postremo etiam cohortante, posteaquam optimæ filij naturæ virtutem, & felicitatem nõ defuisse vidit: qua tempestate communibus opibus, auspicijsque Romanorum, Venetum, Hyspanorumque cum Selymo Turcarum Tyranno in Ambracio sinu Classe certatum est. Maritima rudimenta terrestre continuo incrementum excepit Belgicum, Germanicum, Illyricum, Pannonicum interuallis, atque inducijs armorum domum Italiæ voce reuocatus exteris ornamentis non ignobilia decora domesticæ virtutis adiecit. Prouinciarum incendia restincta: latrocinia non semel, nec sine magnis laboribus oppressa: perduelles excisos: oblatam oppidis lucem: recuperatam quietem. Hæc à me de tanto viro non oratoriè dici: non amicorum gratiæ: sed veræ Flaminij virtuti dari: facile constituet, qui cogitatione recordari volet: quibus illa publicis decorata muneribus: quibus summorum Pontificum fuerit cohonestata iudicijs: quibus potentissimorum Regum testimonijs

nijs commendata: quibus omnium di-laudata præconijs. Henrici quidem quarti Gallorum opulentissimi Regis, vt hunc vnum è multis potissimum nominem, singulare de Flaminij virtute iudicium, & verissimum videtur, & fertur in primis. Venerat Lutetiam Parisiorum ad Regem Clemētis Octaui Pontificis auctoritate Petrus Aldobrandinus Cardinalis de pace legatus. Ad amplitudinem, ac speciem honestæ deductionis Flaminium habebat in comitatu Regi de nomine iampridem, ac de vultu notissimum. Eam adeo notitiam, quam extremam beneuolentiæ lineam esse dicunt, è vicinitate Belgici tumultus fuisse reor. Nam neque Belgio finitima Gallia, neque bellicosissimus Rex proximè magna cum laude Flaminium perdiu depugnantem ignorare debuit. Redeo ad Legatum. E primo statim congressu post publica legationis verba, cum oculos ad astantem coronam circumtulisset fortè Flaminium in cętu nobilium Henricus videt. Agnitum nomine compellat. Et comiter arridens vt humanissimus est, ac talium virorum cupidissimus. Hem quid tandem

inquit

inquit dissimulare te vir fortissimè nūc oportet? & inscio me Flamini nescius hic eras? cum dicto dextera prehensum vltro perquàm familiariter è Turba segregat: & ad eos qui circum adstabant conuersus, en, ait vobis antiquissimum viri specimen, & verè Romanum: & quo sua si bona non ignoret Roma, longè magnificentius, quam suis illis Marcellis, Scipionibus, Maximis gloriari queat. At enim illis huiusce virtutes: huic illorum tempora defuerunt. Quod si paribus honoris, & potestatis auspicijs, huic viro bellorum terrorem liberè circumferre licuisset: non illi felicitate, quam hic virtute latius Romani nominis amplitudinem & fines imperij protulisset. Atque id genus alia de Flaminio Rex executus non ante dicendi finem fecit: quam suis illum laudibus erubuisse sensit. Consecutæ deinceps beneuolentiæ significationes: amplexus: seuocatio liberi sermonis. Epularis accubitus: Symposiorum ioci. Grauissimum tanti Regis testimonium, quid nos attinet exornare verbis? qui si militarium rerum scientia spectetur: omnium omnis memorię regum scientissi-

tiſſimus eſt: ſi firmitas animi: conſtantiſſimus: ſi vis ingenij: ſolertiſſimus: ſi certaminum vſus: exercitatiſsimus: ſi conſilium: conſultiſſimus. Qui plura bella ſuſcepit, quam alij geſſerunt: plura confecit: quam ceteri ſuſceperunt: genere maxima: contentione laborioſiſſima: diſcrimine difficillima: complexione partium implicatiſſima: loci propinquitate domeſtica: temporis diuturnitate longiſſima. Nam de fortunæ varietate quid dicam? tanta per omnem ætatem rerum viciſſitudine circumactus eſt: vt nemo, quod equidem ſciam, neque maiore, neque diuturniore iactatus fuiſſe memoretur. Euentus vero diſcriminum is demum fuit: qui tantam animi conſtantiam, & conſilij prudentiam decebat maximè: & qui vt omnium expectatione felicior: ſic præcellentiſſimi Regis ſingulari virtute nequaquam maior, vel ipſorum hoſtium æſtimatione, licet fortunatiſſimi felicitatem ſuperauerit: inuictiſsimi magnitudinem animi non æquauit. Num igitur dubitare poſsimus, quin eximia, ſingularia, diuina fuerint in Flaminio præſtantiſsimarum ornamenta virtutum: quem maximus

omnium

omnium confeſsione Rex, & omnibus omnis laudis inſignibus ornatiſsimus, tam inſignitè præter cæteros, & quidem verbis ampliſsimis in eo cætu nobilitatis ornauerit? Sed nulla veſtro iudicio grauior videri debet auctoritas Quirites: qui ſanè quàm honorificentiſsima teſtificatione publici mœroris (quem honorem ad hanc vſq. diem nõ niſi paucißimis admodum tribuiſtis) ſtudio ciuium obtemperandum: obſequendum beneuolentiæ veſtræ: memorię clariſsimi Viri ſeruiendum putaſtis. Atqui Vir optimus, mortis iuxta, vitæque contemptor; cum iam ad moriendum vicinus teſtamentum conderet, quæ viri modeſtiſsimi moderatio fuit, diligentiſsimè cauerat, ne Delphinius hęres propinquus, affinis, ſiue quis alius terræ pondus inutile (ſic enim corpus appellabat ſuum honeſtiſsimis cicatricibus inſignitũ) ſumptuosè ſepeliẽdum curaret, quam vos animi modeſtiam, ac demiſſionem inuicti pectoris admirati nihilo tamen minus teſtamenti fidem, vltimam grauiſſimi viri voluntatem irritam eſſe voluiſtis. Aequum credo iudicaſtis in condecoranda publica virtute priuatæ Familię legibus arbitrium pa-

patriæ non teneri. Igitur quod nobis è tanto viro residuum, quod in Flaminio mortale fuit ex Senatusconsulto, ciuili celebritate luctus intulistis in Familiæ sepulchrum: vt cuius animum tot heroicis virtutibus illustrem in viuo corpore cupidissimè dilexistis: memoriam in extincto publicè cohonestare possetis: vnice viuum amastis: mortuum communiter extulistis: communium meritorum, vt gratia communis esset: leuis, si cum desiderij vestri magnitudine conferatur: si vestrorum iudiciorum consuetudo consideretur grauis. Tribus tantum copiarum ducibus vestro decreto id memoriæ beneficium ante Flaminium reddidistis. Honorem neque vulgare, neque vulgatum nunc quartum in Flaminio reuocastis. Consuetudo non est, quæ tam frequenter redit: & quæ non nisi per paucissimos spargitur excellentes viros. Potest eximium, singulare, nouum, inusitatum videri; quod à vobis ità considerate, nec nisi summis viris, idque perraro datur. Numquam istum honorem vester ille Numantiæ victor in vestro Capitolio superbè repudiasset: quod in Athenien-

sium Pritanæo fecisse legitur, cum statuam illi publicè decernentibus inter innumerabiles Græciæ principes, diceret, se non amare gregalem. Itaq. Flaminio vestro publicum in æde funus, publicum in arce monumentum inter summorum Ducum tria Capitolina decora decreuistis: vt eorum esset apud gratissimos Ciues honor memoriæ cōiunctus: qui communi Patriæ magna pacis ornamenta, magna belli societate bellorum, virtutum similitudine, pari felicitate perperissent. An quæso nisi augustior quædam, & solito more maior huius Viri species in vestris animis insedisset: tam honorifica, Quirites, tam inusitata de cohonestando Flaminij funere, ac nomine iudicia fecissetis? noui grauitatem, moderationem, prudentiam vestram. Non fecissetis.

Quæ cum ita sint, quoniam, vt initio dicebam, virorum optimè de Rep. meritorum, honorificentissima commendatio virtutis ad posteros est imitatio posterorum: è vestris iudicijs, ex hoc funebri testimonio ciuiliū exequiarum expressius, quàm ex mea laudatione Romani iuuenes Flaminij clarissimi ciuis exemplum petent. Habet,

habet à vobis Quirites propositum specimen ciuilis honestatis: ex quo sibi domi, militiæque Romana iuuentus ad Flaminij recordationem inuitamenta virtutis, & laudis incitamenta depromat. At me breuiter hæc de iuuentutis honestate, deque Flaminij vera celebratione dicentem, & dicere plura conantem haud sanè mediocriter perturbat huius pueri vel solitudo, vel indoles: quem vnicum nobis magnæ suæ mentis Flaminius hæredem reliquit: miserum me: nec oculi sustinent miseram in filio, quam felicem desiderant similitudinem ingentis Patris: & impeditam lacrimis vocem infixus animo intercludit dolor. Igitur cætera Nobilitas ex huius domo paternum heroicæ virtutis hortamentum petet: ipse domesticam hortationem filius à viuo Patre non audiet? miseret me fili præstantis indolis tuæ! Cum facilè venires in omnem laudem Patris: Tibi Pater ereptus est in aditu pulcherrimæ hæreditatis. Hei mihi quanto præsidio domesticæ gloriæ, quanto publicæ dignitatis ornamento cares? Ex ingentis Patris indole, quantum hausisti: quantum amisisti

Puer?

Puer? Quid facias aliud? dignus tu quidem eras, cui Patris ornatissimi viri vita diuturnior ad exactam effigiem istius indolis esset disciplina facilior: qualis esses? quantus euaderes? quem vultum illo suæ, tuæque laudis artifice duceres: si paternæ dignitatis specimen inchoatum â natura viui Parentis artificio perpolires? aliter Deo visum. Dignissimum optimo parente filium orbatum: parentem simillimo filio dignissimum è rebus humanis citius expectato subductum gemini doloris voluit nobis esse monumentum intuentibus imperfectum in superstite filio simulacrum pendentis spei: præsens in mortuo parenre requirentibus perfectæ dignitatis exemplum. Quid agendum? moderate feremus, quod necessario ferendum est. Leue fit tolerando, quod deponere non licet. Si bonus animus in re mala bonum est condimentum mali: quanto melius in re non mala condimentum erit? benè de bonis sentire, neque difficile, neque mortalibus inusitatum. Maximi Regis imperium, optimi Parentis arbitrium fuisse scias relictam in solitudine pueritiam tuam

ad experimentum tui. Quidquid ille summus, ille verus, ille Sanctus virtutum Parens: quidquid sapientissimus mundi Conditor, & Magister, hominumque, Cęlitumque sempiternus Imperator Deus ex edita diuinæ suę prouidentiæ specula mortalibus euenire iusserit: id vt sapientissimè decretum, sic optimè consultum sapientes interpretari solent. Consilia diuina sic sunt, occulta, non irrita: nobis inopinata: Deo prouisa sapienter. Instituta subamara sunt: expedita delectant: experientibus ingrata: iucundissima iam expertis. Ad animum, non ad sensum affluunt. Voluptati negata sanitati seruiunt: initium rudimenta latentis virtutis cum particula clandestinæ felicitatis: exitus erudimenta virtutis iam eminentis, & totam ac manifestam felicitatem exerit. Sume bonum animum fili. Iam nunc magnus es: quem æqualem adultæ virtuti iudicat, cum experimento tàm acerbi vulneris à pueris exercet Deus. Hoccine tandem paternum est? ætatulam istam indolis paternæ, tam difficile Tyrocinium ponere iussisse? vt amissum parentem ante lugeres: postea referres?

& tam præsenti virtute dares nobis documentum futuræ spei? Hem quibus gradibus ad fastigium patriæ similitudinis, tibi munit ascensum Cœlestis Pater: Infelix Puer è dolore crescis. in Patris locum succedis è luctu Patris. Hoccine pium? hoccine paternum? etiam. Paternum est, ne dubites, fili. Fortunam ex alijs, ex te condisce virtutem. Mortali parente orbatus, immortali relictus, & commendatus es. Dignos isto loco nobilissime Puer: dignos vtroque parente spiritus gere: sustine specimen Flaminij Patris: expectationem Patriæ, commendationem nobilitatis tuæ tuere constanter, non industrijs, sed inertibus inimicam. Simul mortuum parentem, simul & te mortalem esse memineris. Si tuam naturam noueris: negabis insolentem esse calamitatem tuam. Mortales nati sumus: calamitosi sumus: volucris imago vitæ: fugax vmbra concreti pulueris: fugitiui temporis ludibrium: palæstra mortis. Communis omnium conditio, priuata videri non debet. In hæc verba legis antiquissimæ, nulloque vnquam tempore antiquandæ, quoad

erunt, qui mori possunt, necessitas humana iurauit. ortum vt occidat: vt aucta consenescant. Nascimur: viuimus: morimur. Hæc humanarum rerum elementa sunt. Necessitati parendum Verumtamen si teneritas istius ætatulæ nondum admittere potest saluberrimam hanc adeo robustæ sapientiæ medicinam: si propiora naturæ: si iucundiora solatia tam acerbo vulneri quærere nos oportet: quoniam conferre lacrimas, miscere gemitus, congerere mærorem miseris in iucundissima parte solatij est: aut hoc Senatus Populique Romani publico mærore domesticum lenies: aut nullo lenies. Cum ad memoriam amissi Patris ex desiderio pius, vti fit, in animo tuo recrudescet dolor: hæc apud te quæso fac reputes fili. Senatus, Populusque Romanus communiter extulit Patrem meum, luctu tanto, mœrore tanto, quasi parentem, non Ciuem efferret. Meum Patrem extulit S. P. Q. R. & ne quando publica memoria tam egregiæ pietatis interire posset: publicum in æde funus: publicum in arce monumentum Patri meo decreuit S. P. Q. R. O Patriæ singularem beneuo-

neuolentiam erga Patrem meum. O mortui Patris mei memoriam, optimorum beneficio ciuium immortalem. O grauissimi Senatus incredibilem humanitatem! Moriar: nisi beneuolentissimis Ciuibus virtutem Patris imitatione mea reddam. Interim si solatium quæro: paratum habeo lenimentum doloris in Patriæ publico funere: si laudis incitamentum: habeo viuam Patris memoriam in publico ciuium monumento. Hæc tecum ipse reputabis. Cæterum nunquam ego tibi commemorauerim iacturam rei familiaris: quam nemo Delphiniorum sibi ne tacitò quidem suggesserit: nec quantum ex amplissimo patrimonio tuo Patris in milites, in hospites, in amicos, in egentes, in supplices heroica liberalitate decesserit. Illud potius recordaberis; ex illa despicientia diuitiarum quantus veræ gloriæ cumulus ad hæreditatem cæteræ laudis accesserit. Flaminio Patri, non pecuniæ, sed gloriæ cupiditas in quæstu fuit. Nunquam magnus ille animus militiam occasionem auaritiæ putauit. Inflammatus reipublicæ studio, pecuniæ videlicet parceret: qui non parce-

ret sanguini? Itaque bellicosissimus Pater necessitatibus bellorũ addictus, vt haberet vnde militis fidem obstrictam sibi conuerteret ad rempublicæ defensionem: tibi parcendum non fuit: gloriæ seruiendum fuit. Et quoniam à militaribus rapinis ipsius abstinentia singularis: ab ærarijs Principum nimis attenta parsimonia cæterorum non eam, quam ingens eius animus caperet: sed quam temporum necessitas iuberet materiam gloriæ præbere videbantur: maiorum tuorum bene parta suæ laudis instrumenta putauit: quo munificentiæ splendore dignitatem Romani nominis, & personam eximij Ductoris egregiè sustineret. Nunc attenuatum patrimonium filio reliquit pater: amplissimam hæredi sui generis hæreditatem ratus, incolumitatem Reipublicæ: patriæ dignitatem: beneuolentiam Ciuium: Exemplum Patris. Qui constituisset in beneficentiæ profusione vectigal: exclusis auaritiæ sordibus, auidior amplificandæ tibi gloriæ, quam hæreditatis fuit. Te verò Flamini moderatissime Ciuis, fortissimeque bellator: mentem tuam, vt spes est, Cælestium ordi-

ordinibus illatam implorare fas est: quadecunq. Cæli parte nos aspicis: honorem tui corporis, Ciuium tuorum beneuolentiam, filij tui solicitudinem meminisse par est, Filio tuum animum inspira Pater. Indolem tuæ mentis amplexus redde nobis in hærede Filio dignitatem Patris: redde Patriæ virtutem tuam. Illam, illam redde mentem quamuis magnæ molis capacem: illam veræ gloriæ cupiditatem: illam ingenij vim: illam animi moderationem: illam vtriusque temporis necessitatibus responsuram fidem: illam demum mentem tuam, Reipublicæ consulentem. Alio meliore solatio nostrum tui desiderium lenire: Ciuium hunc honorem alio potiore beneficio remunerari non potes: quam si tuam indolem tui Ciues in superstitis Filij similitudine reminiscantur. Vos autem sacrorum Antistites: vos hominum interpretes ad Deum: quibus ea muneris auctoritas est collata diuinitus: vt animos mortuorum vestris allegationibus, ac Sacrificijs expiatos eripere flammis, & ad Cælum euehere possitis: & si Flaminius Delphinius vestri cum primis ordinis obseruantissimus Æmi-

 liæ.

liæ modo Præfectus: & Ferrariensium Equitum Magister Ferrarię decedens è vita mortalitatis curriculum gloriosissimè peractum religiosissimè conclusit: ita ijs, quas commemorauimus virtutibus stipatus: adeò postremis munitus præsidijs Christianorum sacrorum: eo sensu pietatis, ea fiducia diuinæ clementię fretus: vt sperare possimus egregium eius animum omnibus iam humanę corruptelę perfunctum laboribus, maculisque detersis, hominum suffragijs ad capessendum Cælestium ordinem non indigere: tamen, quia spes hæc; non certa cognitio est: & quia mortalibus incerta plerunque conditio mortuorum apud superstites certum officium debitæ pietatis excludere non debet: ite: Flaminio moderatissimo Ciui, fortissimo Ductori Christiana iusta persoluite. Funebris supplicationis instituta sacra repetamus: quibus illi, vel aditum salutis expedire licet ad Cælum: vel in Cælo summam iam certæ felicitatis augere lucis aduentitiæ vel mercede, vel cumulo. Sentiat à nobis, quam Romani nobilissimi Viri nunquam degener animus, sentire potest, in su-

premis

premis sui corporis opem auitæ religionis suæ. Cuius ille Sanctissimo quasi gremio susceptus venerationem optimæ nutricis cum lacte suxit: numen casto pectore complexus est: nomen largo sanguine vindicauit. Nefas est illi pia Religionis suffragatione non adesse, quà licet: qui propugnationem eius laboriosam, & cruentam sibi depoposcit: quam nobis fortium armis circumdatis in litterarum, & Sanctitatis otio collocati doctam, ac quietam esse maluimus. Equidem Clarissimi viri memoriæ vocem hanc libentissimè dependi: quæ mihi quantacunque demum est, in Romana libertate composito, vobiscum ope bellatricis huius dexteræ per studia securæ pacis, ac Religionis adoleuit.

LAVS DEO.

DE SANCTI SPIRITVS ADVENTV.

ORATIO

Habita in Basilica S. Petri.

A ROBERTO FIDELIO Ariminensi, ipso Pentecostes die.

ORATIO.

MIRVS hìc, & repentinus è cælo ſonus tamquã aduenientis ſpiritus vehe mentis, qui non tam Apoſtolorum aures impulit, quam eorum beata pectora compleuit; omnino P. B. nequaquam ſonus inanis eſt, ex fragore tantum inopinatæ concuſſionis exauditus ad tempus. ſed fertilis eſt, & ferax pulcherrimæ rationis index, & ſalutaris, vt ita dixerim, auriga verbi. Subitus hìc quoq; fulgor diſpertitę lucis in linguas irroratus è cælo, quemadmodum facti nouitate mirabilis verè ducitur, oculorum approbatione lætiſſimus, animorũ conſecratione diuinus, vtilitate felix, voluptate blandus, honore ſacroſanctus, poteſtate metuendus; ſic neutiquã breue veſtigium incertæ lucis exiſtimandus eſt ad volucrem ſpeciem ſplendoris ex nubilo dehiſcente fugitiuam: at beatiſſimum potius amici iam cæli pignus, & argumentum intelligi debet in medium iam expoſitæ felicitatis. Ac ſonitus quidem ad aurium accidit

ſenſum,

sensum, soni vero vis ad intimum sinum permanat animorum; vt illa quoque lux non est oculis obiecta solum, sed per illam etiam est mentibus firma species inuecta veritatis, & forma virtutis impressa. Similiter, vt ille singulorum capitibus imminens ignis innoxio calore corpus extimum oberrat; sic amoris diuinitus afflatus ardor pectus occupat, emollit, effingit, artificique digito tractat, ac ducit penetrales animi sensus in omnem vultum, & colorem beatæ vitæ. Nec mirum, spiritus veritatis est, ideo veritatem inuehit spiritus idem est bonitatis, congruenter eructat verbum bonum, spiritus virtutis est, & omnipotentis Dei vigor omnipotens, idcirco vehementer ingruit; & ne dubitetur impetus esse spiritus vehementis, omnia funditus euertit regna terrarum. Cum imminenti mortalium omnium naufragio subductis, & paucis capitibus bonorum hominum, quos in spem generis superesse voluisset in compactile domicilium conclusis; cæteram colluuionem impiam, & impuram in immensum superfusa terris eluuio deleuit: Quæro vltionē fuerit illa Spiritus

huiusce

huiusce vehementis, qui contaminatissimis nationibus oppressis, semen piæ gentis, & castas generis humani reliquias vltimas, propagationi reseruatas fecundissimo flatu prouexit, & appullit ad Armeniæ iugum; qui superextantes refluere iussit aquas, qui cælo terras ostendit; qui nubem Iride colorauit; qui bonæ pacis fœdera sanciuit? Quæro, cum in sublime tendentium Gygantum, & in cælum immani molitione conscendere cogitantium, consilium temerarium incœptũ audax illa sententiarum discrepantia disturbauit, & dissono sermone disiecta res est; hiccine præsens boni consilij Spiritus boni pectoris bonus hospes, & saluberrimæ sapientiæ magister optimus cum perturbatione linguarum, dissensionem etiam immisit animorum? audacissimæ iuuentutis in scelere duntaxat cõsentientis irritam spem debilitauit, conatum temeritatis elisit, fregit audaciam, multitudinem distraxit, profugam exilijs, diuersam erroribus agitauit? Illud etiã quæro, quo tempore quinque ciuitates illas, consensione scelerum, & cõtagione turpitudinum corruptas, nec

 minus

minus exitio nobiles, quam flagitio infames, pluuium, ac repentinum incendium exhausit, atque vltrix è cælo flamma depasta est; an vehemens hic Spiritus pessimos pessimè perdidit, perditos in alto sulphuris aggere demersit, demersos exhausit ingenti terrarum hiatu, exustosque campos graueolenti cænosæ lacunæ gurgite inundauit: intactum vero cælitum hospitem, hominem antiquæ probitatis, seuocauit à turba, secreuit à noxa, seduxit in montem, ab interitu vindicauit? Quærendum etiam existimo cõmemorabilem illius virgæ vim, qua Moses vsus fuisse dicitur ad vindictã, quonam tandem referendam putemus? Hac fretus apud Hebræos interea loci conserenante cælo Vindex densissimas apud Ægyptios tenebras intendit; hac in inimicorum domicilia ranunculos; in compita sanguinem profudit; hac in hostium modo ludibrium, modo perniciem mille patrauit portenta rerum; hac bipartito mari transuexit, assertaque libertate copias in tutum recepit; hac castigatis, ac relabentibus vtrinque fluctibus Erithræi maris hostiles equitum turmas, & peditum innu-

innumerabiles cohortes vno omnes, ac subito impetu corripuit, inuoluit, extinxit. Ergo si virgulæ fuisse vis tanta negatur, quid obstat, quin hunc Spiritum fuisse dicamus impijs ad vltimam vsque perniciem infestum, pijs amicissimè consulentem, vt ex Mareotico luctu diuinas virtutes Victorum Epinicia per hostium constrata cadaueribus littora personarent? Vbi vero Iericuntina mœnia sacerdotum in orbē obeuntium, tubarumque solo clangore circumstrepentium corruerunt; huiusce ne Spiritus anhelitu diflata ceciderunt? Itidem, quantum conic-ctura consequi possum, ab hac vehementia non abhorret Palestinorum ex ludo luctuosa clades, qua tempestate fortissimus ductor meretriculæ fraude primo detonsus ad cutim, eneruatus, excœcatus, emancipatus vim corporis incredibilem amisit: deinde renato capillo recuperauit, & ornatum capitis, & rubor corporis, & audaciam Ducis: mox è pistrino deductus ad oblectandos hostes, luctuosè ridiculus, ingentes spectaculi columnas ingens ipse complexus ambas, vehementi concussione quatefecit vsque eo,

quoad

quoad superincidentium ruina tecto-
rum obtritis hostibus interitum simul
attulit, & sepulchrum, seque cum illis
fortiter vltum, & consepultum, victo-
riam pariter obruit, & triumphum
suum. Cum autem subcineritius ille
Panis, ex hostium interpretatione
gladius Gedeonis, momento temporis
euolutus in castra contra bellantium
inimicorum, hostiles acies ingenti ter-
rore compleuit primò, deinde fudit;
huiusce nè quæso Spiritus impetu, di-
cam, an imagine ferebatur? Cum eius-
dem imperio Gedeonis occlusis in
lagenas luminibus, tubisque clangenti-
bus, atque ex condicto lagænis in no-
cturna irruptione ad terrorem ingenti
strepitu collisis, pauci multos, inermes
armatos, armorum fragore perterrefa-
ctos, & splendoris emicatione per-
strictos, latissimèque sparsa fuga pa-
lantes, passim fœda cæde strauerunt:
dubitari certè potest, an illos huiusce
Spiritus iniecto pauore perterritos, &
inopinatæ lucis fulgore perculsos ad
exemplum hodierni facti fuisse statuā-
mus. Quid illud? num indidem fuisse
dicimus? quod elegantissimus ille
puer, rutilo capillo pulcher, & castus,
viuum

viuum è torrente lapidem delectum, & pastorali funda strenuè circumactũ ad destitutum frontis ictum in immensi mole corporis Gygantem intorsit, excussit, impegit: An hunc locum potius, quam Gygantem ex destinato puer ille feriebat? Cum idem ille iam Psaltrius, & honorarius Ephæbus insanum Regis rabidè furentis æstum, iraque turgidum, limphatumque pectus aptè modulato cytharæ carmine temperabat: dubito an huiusce Spiritus fuerit dulcis ille cantus oris: illa fidium temperatio salutaris? Quæri postremo potest an lapis ille decantatus à Vatibus similitudinem aliquam afferat à nobis; qui perexiguus primo, nullisque è monte manibus auulsus; at intimè tantum quodam impellente spiritus prouectus ad fictiles miræ statuæ pedes hùc vehementer impressione facta, Regnorum superstructa simulacra disiecit, comminuit, dissipauit eo victoriæ successu, vt solus ipse è ruinis assurgeret aliorum, inque molem inusitatæ magnitudinis excresceret, atque omnia spatia terrarum, nullis vnquam excidendus opibus, occuparet: Et nè quæramus omnia

sub

ſub nube, dicam apertius, quod in manibus habemus. Mentiar, niſi vna hæc omnium vox atque ſententia eſt; vehementem huiuſce Spiritus impetum Romam ad difficillimum de ſumma rerum certamen, tamquam ad certam gloriæ palmam incitatiſſimum tunc aduolaſſe, cum Apoſtolorum voce per omnes Gentes ſonus eiuſdem Spiritus vehementis increbuit; cum Synagogæ cadauere relicto Palęſtinam, Aſiamque peragrauit; cum latè per nationes edita ſtrage Babylonis, amoris huius animata ſpiritu Chriſtianæ iuſtitiæ fides, quacumque Sol habitabiles illuſtrat oras, albis victoriæ circumuecta quadrigis, per medias hoſtium acies, per omnium damna rerum, per diſcrimina laborum, per famę vulnera, per naufragia diuitiarum, per excidia domorum, per incendia ciuitatum, per exitia corporũ, per intenta Regum tela, per fulmina Cæſarum impetum cepit; cum ſe ſibi ſuperſtitem, & ſuo commaculata ſanguine trophæa virtutis in Latinas arces inuexit, nec ante partem vllam habuit quietis à ſummis, medijs, infimis ordinibus inimicorum; non à ci-
uibus,

uibus, aut externis, non à domesticis, aut alienis; quam in alto cumulo Romanorum triumphorum victoriale vexillum veritatis extolleret, & in ipsis huius Vrbis visceribus signum Crucis, atque omen salutis imprimeret. Proh Deus immortalis! qui dies fuit ille; quam fortissimis illis viris maioribus nostris ærumnosus, ac grauis; quam grata nobis celebrandus adorea: quo die viuida vis amoris huius è longinqua peregrinatione Doctorem Gentium, & Principem Apostolorum ad hanc arcem Imperij conuocatos cum immanissimi Tyranni crudelitate commisit? Cum victo verius, quam victore Nerone Vaticanum fastigium sanctissimus hic Spiritus Petri sanguine consecrauit: Cum Apostolicum Regnum, hoc est tuum B.P. regale sacerdotium immota Christi Domini virtute fundatum in Vaticani sede stabiliuit; vt idem esset, & certum succedentium Pontificum domicilium, & omnium Gentium commune perfugium, & veritatis oraculum, & æquitatis forum, & Asylum quietis. Etenim omnem impietatem, ac superstitionem omnem hostium audaciam, ac temeritatem,

tatem, omne malum facinus, omne flagitium, omne scelus è medio, quà sapienter, quà fortiter emolitus, immotumque Christi Regnum non magis in improborum ruinis, quam in exaggerato virtutum omniũ fastigio immolitus sacrosanctus hic Spiritus, quoniã ipse numquam à veritate seiungitur spiritus veritatis è Vaticani specula commune salutis imperium communiter regit, communique cum veritate consilio communem causam agit, hoc est veritatem docet: idque auctoritate, tam vera, tam graui, tam irretractabili, ac sacrosancta, vt à Gentibus omnibus, à Romani Pontificis adytis, & iura sacrorum, & scita pietatis, & decreta doctrinæ, & responsa prudentiæ, & præsidia salutis petantur; & nihil vspiam sanctum, nihil verum, nihil pium, nihil salutare, nihil beatum, nihil hominum naturæ consentaneum, nihil cum honestate consentiens existimetur, quod non Romanum esse veritatis hic spiritus irreuocabili Vaticani iudicio comprobarit: Actum erat de re mortalium si vehemens hic impetus non erat impetus amoris, & Spiritus hic Deus afflatus

ex Deo non fuisset præmium sanguinis, at vindex; vt cum expugnaret hominum pectora non amore pugnaret.

Auram lux sequitur, aura lucem: & insinuante se Spiritu, quia diuini cordis est halitus, auræ pariter impetum, & calorem trahit, & cũgeminata mox imagine, quæ sonorè lacessat aures, oculos splendore delectat; vt grauidũ intelligentiæ sonum edit, sic opulentam lucem exerit sapientiæ. Naturam suam indicat indiuisæ deitatis in diuisione Signorum, in vnicum tandem, suadendæ Veritatis officium confluentium: Etenim ex indiuidua luce diuiduæ linguæ, sonus multiplex, verbum vnum, vna persuasio veritatis inducitur; vt ex hoc veluti simplici fonte, septemplicem deriuationem intelligamus effluere gratiarum. Verumtamen ille sic ad hominum captum quodam veluti diuortio virtutum suarum diuisus in partes; ipse sibi simplex, ac totus, & integer est apud se; bonus auræ bonæ vapor, expiratus è corde Patris, expiratus è corde Filij; medius inter vtrumque nominis dumtaxat, & Personæ singulari notione secretus à singulari notione Patris, & Filij; cæ-

 terum

terum vniuersam vtriusque vim conti-
nens, & naturam totam, eãdem, ipsam;
sempiternumq; fœdus amoris sempi-
terno fœdere conciliatus vtrique vo-
luntarius vtriusque splendor è com-
muni deitate collucens; virtutis & ho-
noris sempiternitate par; atque vt
vnus è tribus, sic non alius, aut dissimi-
lis, sed prorsus idem, naturæ simplici-
tate consubstantialis, & æqualis vtri-
que. At enim hæc à me sic dicuntur
tamquam intelligantur: periculosè, ne
ne dicam arroganter; qui summum spe-
cimen summi boni, qui principem re-
rum omnium, & pulcherrimarum, præ-
stantissimamque naturam continentem
sese fortiter, suauiter, sapienter, assequi
me posse non dicam oratione, sed co-
gitatione confidam. Triplex Persona-
rum nomen in simplicis numinis vna
diuinitate distinctum, initium à Patre
sine principio, sine fine suscipiens: Ab
omni æternitate Verbum expressum,
& in mente defixum: Generationem
Filij verè geniti non facti: Spiratione
amoris verè non geniti, nec facti, sed
procedentis: Patris ex sese non aliun-
de venientis, & in se redeuntis neque
geniti, neque facti, neque procedentis
origi-

originem quis enarrabit? Nemo, profectò nemo, præter quàm aut ipse qui generat Pater intelligentia sui fœtum æqualem sibi: aut ipse Filius qui generatur, & non solum similem, sed ipsam, ac totam in se susceptam exprimit diuinitatem Patris; quique datus est nobis sapientiæ magister, & Paternæ mentis interpres: aut ipse Spiritus è Patre, Filioq; procedens, per quem hoc, quod continet omnia scientiam habet vocis; qui vitali calore mentes hominum collustrat; qui sui celebratione sic compleuit Orbem terrarum, vt commostrator grauissimus esset, & Patris, & Filij, verissimus sempiternæ Trinitatis assertor, ac vindex, inspirator veritatis omnis, opifex pulchritudinis ipse pulcherrimus, sapientiæ sacer, ac sanctus Antistes, honoris vigor, educator animorum, demum spiritus veritatis. Quanto melius ab infinitate non enarrabilis naturæ vela contraxerim ad hæc nostra, quæ propalam hic idem Spiritus promulgauit, quæque proximè nos attingunt insignia mirificæ virtutis eius. Sanè nec hominis fuerit intelligentia sapienter vtentis id eloquendo persequi velle, quod intel-

ligendo consequi non possumus; & quod veneratione melius,quam prędicatione celebramus. Proinde si nefas est nudam, ipsámq; contueri naturam excellentissimæ maiestatis intra sese,& suum in orbem colligentem infinitatē suam; venerari certè sanctitatem eius, & radium infinitæ pulchritudinis effluentem extra, parcentem oculis, & Aulæo similitudinis obductū, sic quasi per nubem intueri fas erit. Vim optimæ bonitatis ancillãtem veritati,subseruientem sensibus, & mentibus humanis adblandientē sentire possumus, haurire possumus,amare possumus, sed ex parte,sed dissimulatè possumus:totam animo complecti, definitione metiri, retectam, & eminentem congredi coram extra periculum puniēdæ temeritatis, & planè peruidere non possumus.Vt aduersum Solis huius orbem intentis oculis, & indeiectis difficilè sustinemus; ex nube vero repercussam, & discolorem eius imaginem cum iucunditate spectamus: Sic infinitum splendorem amoris vim suam impetus & auræ,lucis & linguæ,similiumq; rerum imaginibus mitigantem, & veritatis & pacis Iridem inducentem con-
tem-

templari iucundius, delibare fructuosius, eloqui verecundius licet: quem nescias, an timere sit tutius ob potestatem: an amare sanctius ob pulchritudinem, an possidere felicius ob expletam summam Omnipotentis Boni. Verumtamen, nec felicitatem nostram, vt est in Prouerbio, deuorare potius, quam concoquere potuisse videmur, illud prę ceteris in tanta bonorũ vbertate meminisse sat est; quod, vt paulo ante dicebam, huius ardore Spiritus incitata Christiana virtus, ad nos potissimum cursum tenuit, & Romæ maluit, quàm alibi sacrorum certum domicilium collocare. Hùc per omnes peregrinata Gentes vehemens illa vis omnis incubuit: ad hanc Arcem imperij omnibus vndique viribus concursum est: hic toto certatum est Regni corpore: nec enim leuia, aut ludicra præmia petebantur; de summa Rerum agebatur: Iustitiæ sanctitas, Pacis tranquillitas, Sapientiæ veritas, Cæli necessitudo, cælestis Patris hæreditas ex hoc terrarum capite promulganda terris, instituto certamine cum vitiorũ omniũ agmine quærebatur. Immò verò quoniam sanctissimus diuini pecto-

ris Spiritus, non solum intimè perscrutatur profunda Dei; sed etiam extra sapientiam redarguit sapientum: nec tantum iudicat inter noctem, & diem, sed inter diem etiam & diem; cū eius veritas cum hostium vanitate, religio cum superstitione, sanctitas cum impuritate, fides cum perfidia, mansuetudo cum crudelitate fortissimè confligeret: nihilosecius cum Philosophorū sapientia, cum Cæsarum consilio, cum Legumlatorum iustitia dimicabat: vt verissimum faceret veritatis oraculū, quo significatur mundum argui non de peccato tantum, verum de iudicio, & de iustitia ab hoc spiritu veritatis. Diu videlicet hæsit ad hanc arcem incerta, non quidem victoria, sed pugna, cum improbi corpore, nos animo vinceremus: Demum quia pro veritate res erat, virtute vicerunt, qui pro veritate pugnabant. Hic, si vnquam alias, liquidò perspectum est, quam malè sibi cohæreat vitiorum prauitate coagmentata crudelitas: Quippe somnium illud eburneum Romanarum opum, illud vitreæ potentiæ fictile simulachrum ad primum impulsum lapidis decurrentis, hoc est ad lucem
primæ

primæ veritatis intonuit : & si quæris, quam leui tactu, quo tanta moles Imperij pondus dederit? ad pauperis, & abiecti procubuit Piscatoris pedes. Multum tamen victori tuo, Roma debes; quod & illius victoria tibi stetit, & ipse, ne quando victoria te deserat, à te pugnat; si quidem nocituræ potestatis exuta viribus, æternum sanctitatis, & sapientiæ principatum, procurationemq; veræ salutis cum vero Deo communem habes. Enimuero si non aliam diuini consilij decreta Romano Christi Regno viam inuenire, voluerunt; nec nisi per cædes, atque clades vehemens diuini Spiritus impetus adspirare potuit ad hanc Arcem; magnoq; semper magna parantur Regna virtutis; si iustitiæ sanctitas in humano genere reseminari non potuit, nisi post obrutum in vndis humanum genus; nec promissæ Regionis vberrimos campos, nec lacteam, ac melleam hæreditatem Abrahami nepotibus cernere fas fuit, nisi post Arsinoem Regnatricem, Aulamq; Pharaonis funditus excisam; cuius tamen ad trecentos ipsos annos cara Deo Gens iniustissimæ seruitutis iugum ante tolerasset: Si suo

 iam

iam Christo, nisi victa seruire Romam non potuit; nec veritatis, & pacis immortale regnum; nec iura sanctitatis, & cæli, late per omnes interpretanda Gentes; nec docendæ iustitiæ, ac sapientiæ principem auctoritatem; nec saluberrimæ religionis salutare sacerdotium; nec tergeminum stemma triplicis potestatis accipere Roma debuit, nisi Capitolium ante triumphales quadrigas, Palatium, curulem sellam, Auentinum Diale Flaminium, Cæsares Augustale fastigium Piscatoriæ Crucis in veram mox gloriã exituro ludibrio subdidissent: Iam nihil querimur ò Mundi Conditor, & Magister, quod tam parua mercede Roma dedocta placere sibi, veritatem tuã discit, & docet ex te: Placet empta Romanæ superstitionis interitu Christiana religio; nec si redeat illa vecors, illa fallax cruentæ potestatis imperijq; infulata superstitio, nobis placere possit, vt antea: odimus Babylonij poculi meretricium amatorium: odimus artificium impium, & impurũ; tuo spiritu tuæ veritatis imbuti, quàm exanimales illius meretricis illecebras, te malumus, & amorem tuum:

nostra

noſtra tibi deſponſa fides eſt, à te deſciſſere non eſt pium, in exilijs, in ærumnis, in vinculis, in rotis miſeri nō ſumus, ſi tecum ſumus: ad tuas conditiones tecum depactus animus noſter, vel in ſumma rerum egeſtate, ſi ſic neceſſe fuerit, Religioni parere debet; cum ſuperſtitione regnare non poteſt: à ſe citius quam à te defecerit: abibit citius à magiſtratibus, exuet magni nominis phaleras inanes, trabeas Cæſarum abdicabit, franget Conſulum faſces, caſtrorum paludamenta deponet, triumphorum abijciet exareſcentem laurean, & caducam. Eſt tanti formidabilis Imperij maieſtatē ſemper cruētam, ſemper armatam cum pacatiſſima pace Chriſtianæ felicitatis; & ſuperſtitionem leuiſſimam, & ſceleſtam cum amoris diuini virtute, cum integritate, cum ſapientia, cum ſanctitate, cum iuſtitiæ fide, cum animi tranquillitate mutaſſe. Sic ad ſapientiam inſtitutis, hoc Spiritu ſic affectis, & perbeatè degentibus in amplitudine ſuauiſſimę quietis præſtat neſcire fatalia Feretrij Iouis Ancilia, cinctum Gabinum, Auguralem lituum, argēteos Anſeres Capitolinos, Numam & Egeriam, Quiri-

num & Vestam, Vestalium perpetuum ignem, & perpetuæ Virginitatis promissum certum, votum dubium, nomē ambiguum, & Asylum apertum sceleri, parricidio dedicatum, libenter, vt nunc est, obliuiscimur: diem enim vnum actum ex tuæ iustitiæ præceptis peccanti immortalitati anteponendū putamus. Benè nobis, & iucundè fuerit si respirare tantum, & frui licuerit aura veritatis, & virtutis tuæ: solum vt volueris amare nos, & à nobis amari velis, nimium multum dederis, & dedisti; hac mercede diuitias, opes, honores, imperia repudiare possumus, nobis viuere non debemus. Igitur Romanus, ferox ille Gentium victor, ac terror, mucrone veritatis exceptus, amori latus, & manus dedit, daturus etiam iugulum, daturus & sanguinem si iussisset. Nunc vero quia qui vicit, haudquaquam inglorium nomen est, aut obscurum; ex animo victoris imperium amat, & seruitutem suam; sequiturq; gloriosissimi triumphi currum ingentis ingens pompa victoriæ gratulabundus, ac felix, & hoc tantum miratus aliquando se voluisse vincere, qui quandoque vin-

cere noluisset. Repone victum in pristinæ congressionis locum, reuocetur prior illa Romanorum serua libertas; quære num vinci malit, an vincere; seruire nc Petri successoribus, an Gentibus imperare? palam profitebitur conditionem veritatis esse potiorem, & imperio preferret seruitutem: Aquilam & pilum, Baltheum & stipendium sacramento militiæ solutus deferet, militare congiarium non reposcet, castrense peculium etiam libentissimè remittet, emeritorum præmijs, victoriarum manubijs vti nolet; & exauthoratus à Cæsare trãsibit ad Petrum, à Labaro properabit ad Crucem. Vestram hic appello virtutem, ò fortissimæ quondam animæ, nunc etiam beatissimæ. Tuam Flaui Clemẽs fidem obtestor frater Cæsarum, & Collega Consulum, qui cum orbitatẽ Vespasiani nominis Augustali tuorum adoptione fulcire filiorum, & Aulam nutantis Imperij pulcherrima sobole sustinere; cum geminare fasces, reuocare consulatus, iterare Curules, fama tui nominis implere Latinos fastos, & Imperij societatem inire cum Patruele posses: quia tamen tibi rem non

cum Christo, sed cum Domitiano futuram videbas, ne purissimi pectoris integerrimum spiritum contaminares, sanguinem Christo deuotum, in Christi causa profundere maluisti. Vestram quoque fidem libenter obtestor Palmati Consul, & Simplici; vestram Cerealis, & Zeno; tuam Gedeon, tuam Mercuri, tuam Mauriti, tuam Octaui, tuam Solutor, tuam Aduentor: Vobis fidissima legionum inuictissimarum manu stipatis, & lectissimæ iuuentutis armis egregiè munitis, tametsi furentium in vos Imperatorum vestrorum licétiam circumscribere liceret; si quidem, & vestræ virtutis impetũ, & pronum ad imperium iter, & secundum victoriæ cursum ad Aulam sequi potius, quam in castris attinere libuisset; tamen quia non præmia virtutis in terris, sed discrimina quærebatis, hostium capiti parcere, quàm vestro, fustibus subijcere terga, securibus dare ceruices, decimationibus minui cohortes, internecionibus deleri copias, machinis torqueri, distrahi, corpora cruciari pulcrius, quia sanctius vobis esse statuistis. Age sit hic fortior: ille suauior impetus est amoris, qui suauissimam

ſimam nobis Chriſti ſapientiam inſpirat, auramq; noſtris mentibus afflat omnipotentis Verbi. Etenim Deus hic amor, vbi, quemadmodum ipſe nouit, & ſolet, humana pectora ſui præſentia numinis opacauit, vbi nunc vaporata vitali ſuo calore corda, nunc tamquã imbribus irrigata voluptatis, ſicut tãtum decebat hoſpitem, præparauit ſibi: quid dicam, quàm facilè, quàm expeditè, quàm liberè, quàm iucundè, quàm ſtrenuè, quàm magnificè, quam amplè vires omnes virtutum omnium immittat, & incitet ad omnem honeſtatem, ac laudem? quemadmodum & cogitationes, & deliberationes, & voluntates, & appetitiones, & iracundias, & cupiditates, & omnes corporis, animiq; ſenſus quamlibet in partem impellat, ac verſet? quemadmodum illam euocet, atque ad omnis officij cuſtodiam explicet virtutum ſeriem honeſtiſſimam, ac beatam? integram primo fidem ad agnitionem ſupramodum beneuoli numinis & iuſti; caſtũ exinde timorem, certiſſimamq; ſpei fiduciã alacrem, & certam è diuinæ bonitatis, & iuſtitiæ veneratione generatam; ex hoc autem veluti fonte perpetuum

odium

odium prauitatis omnis; è prauitatis odio continentiæ salubre cōsilium; ex hoc ipso cæterum subinde recense: ordinem honestatis omnem, ad punitionem quidem delicti seuerissimam disciplinam; è disciplinæ seueritate tolerantiam voluntarij laboris, & abstinentiam; omnem titillationem sensus; omnes leuiculæ voluptatis illecebras ex animo respuentem; omnem iactantiam, & ostentationem; omnē contumaciam, superbiam, arrogātiam; omnem denique malum animi cupidinē, & nugatorium aucupium falsæ voluptatis, & gloriæ. Hoc porrò constituto non dubiæ, sed certæ, non obscuræ, sed expressæ iam in intimis animi sensibus probitatis statu: continuò benè moratus animus in educatu boni Spiritus in ingenium suum emollitum iā, atque subactum, & ad expressiorem diuinæ similitudinis indolem probè præcultum, & comparatum, omnem reliquum virtutum excipit comitatum, ac necessitudinem tanquam resti per manus data pulcherrimæ clientelæ, bonitatem, innocentiam, integritatem, constantiam, æquitatem, animi celsitudinem, & excellentiam; tum aciem mētis

ceu

ceu per perſpicuum vitrum traiectam ad intellectum,ac ſenſum ſummi boni: tum intelligentiam,& experientiā recti,ac veri; tum perſpicientiam,& vſuram multo fructuoſiſſimā iuſti, ac pulchri; tum optimæ rationi conſentaneā conſuetudinem morum, & vitæ quàm emendatiſſimæ conſtantem tenorem, eundemq; vultum in mæſtis rebus, nō ſecus ac lætis,ad grauitatem compoſitum, & quandam veluti decori lucem effloreſcentem è temperatiſſimis animi motibus ad ſpecimen virtutis,ad officij dignitatem, tranquillitatis deinde perpetuas quaſi ferias,& ſtatum honeſtiſſimæ quietis & Alcedonia placidiſſimæ pacis. Ad hæc animum compotē mentis, & verè ſui iuris, & imperantē ſibi: ſemper optimarum partium, & primarum: ſapientiæ beatiſſimum lumen tamquam in liquidiſſimo cœlo ſemper obuium,& ſerenum: arbitrium exinde ratum,exſcriptumq. ex veritate decretum optimæ mentis: apprime tenax, & certum in omni deliberatione conſilium,omniumq; rerum humanarum,diuinarumq. prudētiam, & firmiter iam impreſſam, atque inhærētem in animo ſimilitudinem diuinitatis;

quam

quam eminentem esse dicimus triplicis iustitiæ formam ad tripartitam officij dignitatem in Deum vnam, in homines alteram, in se tertiam; quæ Deo quidem se debere fateatur sanctitatis integerrimũ sensum, pietatis castissimum cultum, religionem, venerationem, metum, beneuolentiæ responsionem, gratiarũ vices, gratulationes, laudes, labiorum victimas hymnos. In homines autem humanitatem conferat, & comitatem, & beneuolentiam, & mansuetudinem, & facilitatem, & misericordiam, & liberalitatem, & fidem, & opportunum animum, & paratum gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. De se verò suisq; rebus, qui diuini Spiritus numine sit instinctus, ita planè sentiat &, statuat, vt ipse sibi displiceat, ac diffidat sibi; sit in vigilia laboriosissimæ quietis; primum putet nihil omnino sibi cordi esse debere, quod non Principi rerum, ac moderatori Deo gratum, acceptumq; esse planissimè sentiat: ad omnem proinde nutum illius intentus, expeditusq; sit, doctus nullam recusandam esse conditionem propositi discriminis, aut laboris; se non magis sibi quam Reipublicæ,

blicæ,nec Reipublicæ magis, quam Deo natum intelligat: nullam proinde partem officij deferendam putet, nullam in hac custodia corporis prætereundam ordinis dignitatem. Hominem tâti Numinis hospitem,vel alumnum potius amoris, his virtutibus instructum, tam multis subornatum, ac refertum beatæ vitæ commodis, quis dubitet esse beatissimum? Quid verò cætera commemorem vel ornamenta laudum, vel emolumenta Pacis, quæ pulicè priuatimq; nũc vtenda sapienter, nunc fruenda suauiter è Spiritu veritatis hauriuntur ad bene, beateq; viuendum? quæ si recensere singula numerando velim,nullum finem inueniat oratio mea. Circumspicite quæso vos Ecclesiæ formam omnem, & partes eius singulas,ordinumque classes,ac dignitates animaduertite: ætates,instituta,leges,mores,familias,domos,ciuitates oculis obite,animis inspicite diligenter; nullum locum, nullam vitæ partem, nullum pũctum temporis vacuum amoris beneficentissimi Numine reperietis. Hic,vt ab incunabilis nostræ salutis exordiar, Aquas incubat salutares: hic nobis è Christi

san-

ſanguine renaſcentibus auram infundit veræ lucis,&. vitæ: hic expiatos, & recentes è fonte ſuſcipit, ſuſceptos educat lacte ſaluberrimæ veritatis; mox oleo paleſtræ delibutos præparat ad certamen, inflammat ad gloriã: hic intento perfuſoq; Spiritu per omnes Reipublicæ partes permeat, & cũ ſocia veritate perluſtrat, quoad in vnũ omnia corpus apta membra componat, vnamq; fidem è multorum vnanimi conſpiratione coaleſcentem ſubijciat omnium virtutum Principi Christo Deo: hic Deo nos, hic Deum nobis, hic nos nobis, hic ſingulos ſingulis, hic omnibus ſingulos, hic ſingulis omnes, hic omnes omnibus nunc ingeniorum facilitate, nunc neceſſitudine voluntatum, nunc ſententiarum conſenſione, nunc morum ſimilitudine, nunc familiaritatum, & amicitiarũ coniunctione conciliat, & coagmentat, arctiſſimeq; coniungit; vt nihil illo mutuo conſenſu, nexuq. partium reperiri poſſit copulatius ad vitam, nihil ſuauius ad conuictum: hic animos Chriſti corpore nutrit ad ſalutẽ, ſanguine colorat ad gratiam, virtute corroborat ad pugnam, exemplo prouocat

nocat ad mortem, morte traducit ad vitam: hic afflatu sui numinis Pontifices,& legit, & regit: hic sacerdotes inaugurat: hic piamina sacrorum, hic omnia muneia pietatis, & religionis obit in templis: hic Virgines cælesti flammeo denubit,& Deo maritat: hic viduarum orbitatem, & cælibum solitudinem vberi virtutum sobole fœcũdat: hic infantium linguas facit esse disertas;&, si libuit, silentio bonorum obruit eloquentiam improborum: hic ora Sapientum, hic plectra Poetarum aptè temperat,& doctè flectit ad præconia veritatis: hic ereptos libidini thalamos dedicat castitati; vt pudicitia pronuba sanciatur maritalis fides, quo Virgini Christo numquam noua soboles deesse possit, quam sermonibus informet ad sapientiam, virtutibus instruat ad salutem: hic è Martyrum sanguine fidei semen elicit, vt propagata per populos admiratione veritatis, è cæde paucorum renascatur vita multorum. Quid multis opus est verbis? hic lucis ipsa lux est; hic Spiritus animorum; hic gratia virtutũ; hic admirabilium operum consultissimus, & descriptor, & artifex; hic si adsit sa-

crarum

crarum litterarum authoritas vitam afferet, si abſit, occidet; quin etiam Chriſti Domini doctrina, vita, virtus hoc præſente numine, iucundiſſima beatæ vitę lux eſt, hoc abſente labor, angor, mæror, ærumna, cruciatus. Huius numinis impleta fœtu laudũ omnium Chriſti ſponſa fœcunda mater Eccleſia, beatæ vitę compos, & in omnem aleam felix, è mærore lætitiam, è dolore voluptatem, è conſternatione conſtantiam, è formidine ſecuritatem, è mendicitate potentiam, è ſeruitute libertatem, ex ignominia decus, ex obſcuritate gloriam, amplitudinẽ, dignitatem, immortalitatem parit. Denique, vt vno verbo omnia complectar, amoris huius eſt munus longè pulcherrimum, & diuiniſſimum, vt filij Dei verè nominemur, & ſimus. Atque hæc quidem hactenus de ſancti Spiritus laudibus timidè nobis, & primoribus, vt aiunt, labijs hauſta ſint: omnia penitus exhaurire neque mens, neque ſpes eſt: & ſi vere ij ſumus, qui eſſe debemus, quin potius in intimum pectus intimè, & immortaliter accepta memoria tantorum bonorum: agite per ego vos ſanctiſſimum numen amoris obteſtor,

ſtor, & indulgentiſſimi numinis opor-
tunitate ſic vtamur, vt decet & noſtra
felicitate fruamur, vt licet: vt volupta-
ti ſit quod eſt ſaluti parcè delibandis
præpollentis amoris laudibus id intel-
ligere prudenter, & piè ſentire (quo-
niam in perſoluendo laudum, & gra-
tiarum officio, quod reddimus, infini-
tis partibus deterius eſt eo, quod red-
dere debemus) nos etiam cum maxi-
mè grati ſumus, tamen eſſe ſemper in-
gratos: Siquidem eiuſdem amoris eſt,
quod illius afflatu luminis ad vitalem
ſapientiæ lucem, ac ſenſum reuiuiſci-
mus, quod ſanctè cogitamus, quod ca-
ſtè viuimus, quod bene ſperamus,
quod cælesti Patri conciliati ſumus,
quod veritati placemus, quod cœlum
virtute capeſſimus, quod in ius im-
mortalitatis ex mortalitate tranſcribi-
mur, quod ij demum ſumus, qui Deo
plurimum debeamus, & plurimum de-
bere poſſimus. Dixi.

Laus Deo Beataq; Virgini Mariæ.

Ente - Biblioteca Nazionale Centrale di Roma
Vittorio Emanuele II
Opera - 6.3.A.39
Laboratorio - Il Laboratorio s.r.l., Firenze
Anno restauro - 2004-2005 N° 21

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo numerazione delle carte, scucitura primo e ultimo fascicolo, spolveratura con pennello, pulizia a secco delle carte, misurazione pH frontespizio, valore 5,21, risarcimento strappi e lacune con carta giapponese Vangerow 20527, velo Vangerow 20561, collante Tylose MH300P al 4 %, consolidamento cucitura originale e riaggancio fascicoli scuciti, nuovi capitelli in lino naturale e seta color verde/rosso su anima in canapa, indorsatura in carta giapponese e cotone, nuova coperta in pelle marrone, custodia in cartone durevole per conservazione Vangerow grammatura 300.

DATA COLLAUDO 14 - 05 - 05

COLLAUDATORE

Il Laboratorio s.r.l.